De
Diis Romanorum patriis

sive

de Larum atque Penatium

tam publicorum quam privatorum

religione et cultu

scripsit

Guil. A. B. Hertzberg,
Ph. Dr.

Adjecta est nova fori Romani et adiacentium locorum adumbratio.

Halae,
Apud J. F. Lippert.

1840.

Nihil est, quod in artem redigi possit, nisi ille prius, qui illa tenet, quorum artem instituere vult, habeat illam scientiam, ut ex iis rebus, quarum ars nondum sit, artem efficere possit.

CICERO.

Explicatio

tabulae aeri incisae.

1) Templum Jovis O. M.
   a. Cella Jovis.
   b. Cella Junonis.
   c. Cella Minervae cum Termino.
   d. Juventas.
2) Jupiter Tonans.
3) Fides.
4) Mars.
5) Porta Carmentis, cuius exitus duo
6) et 7) versus Pontem Sublicium dextro et sinistro Jano (Ovid. Fast. II, 200. Liv. II, 49) quorum alter porta scelerata (7.).
8) Janus Quirinus inter duo fora (Ovid. Fast. I, 258.) in infimo Argileto (Liv. I, 19.) iuxta Lupercal (Virg. Aen. VIII, 345) ubi aquae Lautolae (Ov. l. l. all.) quae effecerunt lacum in Velabro (Varro L. L. V, §. 156 Müll.). Janualis porta Palatii a Varrone commemorata quin Janus Q. ipse sit, non dubitamus. Varro L. L. V, 165.
9) Saxum Tarpeium.
10) Centum Gradus
11) duo luci.
12) Templum Veiovis.
13) Asylum cum luco.
14) Aedes privatae.
15) Tabularium.
16) Aedes Saturni.
17) Concordia.
18) Juno Moneta.
19) Jupiter Feretrius.
20) Clivus Asyli; inter duos lucos porta Pandana s. Saturnia (Varro IV, 42.)
21) Monumentum Bibuli.
22) Templum Vespasiani.
23) Basilica Julia.
24) Milliarium aureum.
25) Fabius Fornix. (Cic. Planc. 17. Ascon. ad Cic. Verr. I, 7.)
26) Scalae Gemoniae.
27) Carcer Mamertinus.

28) T. Castoris.
29) Regia.
30) T. Vestae.
31) Curia Hostilia.
32) Fons Juturnae.
33) Basilica Porcia c. columna Maenia.
34) Templum Divi Julii.
35) Puteal Libonis.
36) Ficus Ruminalis (vid. n. 58.)
37) Vulcanal.
38) Suggestum.
39) Rostra.
40) Comitium.
41. 42) Graecostasis cum Senaculo et stationibus municipiorum.
43) Janus imus
44) medius
45) summus.
46) Templum Vertumni.
47) Porta Romanula.
48) Sacellum Volupiae.
49) Templum Larum.
50) Jupiter Stator.
51) Aedes Vicae Potae.
52) Aedes Penatum.
53) Forum Pacis.
54) Templum Urbis et Veneris.
55) Clivus sacer s. Victoriae.
56) Porta Mugonia.
57) Porta Janualis.
58) Lupercal ad ficum Ruminalem (Ov. Fast. II, 411) et casam Romuli in regione Germalensi (Varr. L. L. V, 54.) in Palatino (Liv. I, 4). Ficus autem haec Ruminalis diversa ab illa, quae in memoriam rei in comitio colebatur, tanquam sponte eo transiisset (Plin. N. H. XV. 20.)
59) Streniae sacellum.
60) Amphitheatrum Flavium.



De
Diis Romanorum patriis Liber I.

De Diis Laribus.

Prooemium.

Deorum Larum et Penatium naturam et originem perscrutantes cum viros doctos ad unum omnes ad eum scrupulum offendisse animadverteremus, quod iam a veteribus utraque numina non modo iuxta posita, ut similes et συνώνυμοι appellationes, verum etiam ita coniuncta commemorantur, ut nullus omnino discriminis esse videatur locus: de integro agere et relicto publico isto variarum disquisitionum quasi lacu ad incontaminatos antiquitatis fontes redire apud animum constituimus. Quod non ea sententia nos dixisse patet, quasi priorum VV. DD. labores aut neglexerimus, quod esset pigri, aut eorum auctoritates contempserimus, quod arrogantis esset; nam ubi cum Niebuhriis vel Mülleris certamen erat obeundum, nunquam sine commodo rei litterariae id fieri perspeximus. Hi enim quoniam si errasse videantur, res ipsas in quibus errarent tenebricosas et maxime dubias fuisse paene necesse est: intendenda erat atque acuenda mentis acies, ut verum, tam nobilium adversariorum pugnis quodammodo ereptum, fortius iam et tutius teneretur, quam si sine sudore et sanguine esset impetratum Contra, quum talia hominum argumenta obstrepere visa sunt, qualis nuper omnem Romanarum religionum doctrinam duobus voluminibus (Volusi quibusdam annalibus) comprehendere ausus est: in excutiendis iis erroribus, qui scribentium aut incuria damnosa aut [illegible]

cupidine nati iam nuda et incomta rei expositione refutarentur, lectores frustra detinere opusve in immensum augere noluimus. Quoniam autem hoc nostrum fuit consilium, hi disputationis nostrae fines constituti, ut quicunque veterum scriptorum locus illorum nominum mentionem inferret, ita ab huius aetatis hominibus teneretur, ut a Romanis ipsis quondam intellectum esse eum arbitraremur, fabularum, quas percensuri sumus, obscurarum saepissime et dissonantibus aliarum argumentis confusarum causas et quodammodo sententias eatenus solum tangere voluimus, quatenus ad illustrandas religiones quae tunc quidem verae essent habitae conferre viderentur. Quid enim in iis verae historiae sit, quo iure Romani suos deos cum peregrinis, Graecis maxime, composuerint, quid Italicae originis, quid extrinsecus admixtum, aut qui factum sit, ut tam facile iam pridem admisceretur, haec omnia infinitae paene materiae opus disquirere neque huius loci esse neque nostrarum virium censuimus. Quare lubentissime hac provincia cessimus Klausenio, viro, in quo doctrina reconditarum utriusque gentis fabularum profunda sagacitati animi certat, satis nos operae pretium fecisse rati, si quae a Romanis eo tempore, unde plurima litterarum monumenta immortalitate digna ad nostram aetatem pertinuerunt, quum vulgo credita tum publicis institutis recepta fuerint, diligenter excussa collegerimus, ut augusti quasi cuiusdam templi vetustate collapsi vestigia situ et ruderibus saeculorum purgata sequentes novum quodammodo aedificium pristini ad instar exstrueremus. Qua in re idem nobis evenisse sensimus, quod antiquitatis monumenta restaurantibus vulgo accidere solet, ut aliae partes temporum iniuriis nimium confectae restitutionem prorsus respuant, aliae veteribus fragmentis cum diligentia collectis et sartis formam illam quidem antiquam et veram reddant, compagum vero scissuris et incongrua colorum dissimilitudine ingratum praebeant aspectum, paucae solummodo et in quibus elaboranti minima inventionis laus erit, pristinum splendorem servaverint. Verum quoniam investi-

gandi labor cum elegantia perpetuae orationis consociari se aegre patitur — nec enim doctam Varronis industriam Tulii impetus aut Livii copia deceret — veniam a prudentibus impetratum iri nobis confidimus, nisi variorum auctorum varia testimonia, quasi quidam calculi diversicolores hinc illinc corrasi nostra ope coeant,

ut tesserulae omnes
Endo pavimento aut emblemate vermiculato.

Nam ubi incorrupta veterum verba acuto doctorum examini negare aut nobilem illam antiquitatis aeruginem sine aliquo auctoritatis detrimento collimare non licet, asperitas potius sermonis atque adeo hiatus quam tersus dicendi splendor veritatis fidem spondere videntur. Nostra igitur via etiam lectoribus progrediendum, nobiscum et perscrutandi molestia et inventionis, si quod est, gaudium suscipiendum. Atqui ut res similes et tantum non easdem sola natura utriusque explorata et discriminis parvis saepenumero et obscurioribus notis disiunctis separare licet, ita natura ingenua et propria semel inventa varios inferiorum temporum usus a nativo haud raro immane quantum diversos optime illustrabit. Incipiendum autem tamquam ab incorrupto testimonio a nominum ipsa stirpe atque origine.

Cap. 1.

De nomine Larum.

Larem enim Tuscam vocem proprie dominum significare plurimis rationibus colligitur. Invenitur enim hoc nomen Etruscorum regum nominibus propriis praepositum, nec consentiens diversorum temporum virorumque appellatio, ipsam hanc vocem ut Dionysium Halicarnassensem secuti pro nomine potius gentili aut praenomine, quam pro appellatione honoris, quae postea demum ut in Larte Herminio abierit in praenomen Romanum, accipiamus patitur. Neque illud officit, quod ubi in regibus usurpetur, genitivum „Lartis“, ubi in deo „Laris“ formari grammatici docent. Charisius enim I. p. 110.

Putsch. „Lar si familiaris erit genitivo **Laris**, si Tolumnii vel Porsennae **Lartis**.“ Nam quod verba, quae in editione Putsch. et vulgatis reliquis apud Priscian. V. 645 leguntur: „Lar, quod significat *κατοικίδιον θεὸν* **Laris** facit genitivum, sin autem imperatorem Vejentorum **Lartis**, quem mactavit Cossus. Et testis est Ovidius in epigr. sic dicens: Larte ferox caeso Cossus opima tulit. Livius in IV. ab urbe condita Larte Tolumnio rege Vejentorum“ — quod autem haec verba, ut in proborum codd. mss. nullo comparentia recte Krehlius grammatico Caesariensi abiudicata in marginem relegavit (T. I., p. 175.) non refert. Usus enim hanc normam satis comprobat cf. Livius II, 9. IV, 17. III, 64. Flor. I, 12, 9. At quoniam in aliis quoque nominibus t litteram casibus quos dicunt obliquis modo additam modo omissam invenimus, praesertim in iis, quae ab externis linguis adscita in Romanam transierunt: in voce Lar eandem rationem olim valuisse, post autem, quam significatio primo eadem in diversos usus abiit, duplicem formam constantius inter utramque notionem partitam esse veri non dissimile est. Certe Lar, vel in regulorum illis sive praenominibus sive honoribus a Dionysio Halicarnassensi semper *Λάρος* omissa t Graece redditur. Sic quamvis pro vero nomine accepta honoris appellatione V, 21: *Λάρος ὄνομα Πορσῖνος ἐπίκλησιν*. XI, 51: *Λάρος Ἑρμίνιος*, quum e contrario Plutarch. Q. R. c. 51. deos Lares *λαρῆτες* appellat. Eandem autem huius vocis originem Arnobius significare videtur, qui post prolatum alterum et ineptum a Graeco *Λαῦρα* derivandi conatum addit: alii vero putant, Etruscam esse vocem, quae principem et praesidem significat. Auctor vero libri de praenomine, qui vulgo sub Valerii Maximi nomine circumfertur, quamvis praenomen ipse credat, et Tuscum nomen esse et a Laribus derivatum ait. Utcunque autem de vera eius origine se habet, hoc certum est, Domini appellationem etiam in domestici numinis naturam et quodammodo munera optime quadrare. **Custodes** enim **domuum** et praesides familiae, quinimmo **defuncto**-

rum **patrumfamilias genios** ipsos **Lares domesticos** esse videbimus.

Cap. 2.

De diis Manibus.

Primum enim Manes, pias mortuorum animas, divino honore frui creditos esse, non solum frequentissimae sepulcrorum inscriptiones D. M. sacrae, sed plurimi etiam veterum scriptorum loci testantur (cf. Acron. ad Hor. carm. I, 4. extr. Fest. s. v. Manes. Sil. It. VI, 113. Ovid. Her. III, 105. Quintil. Prooem. VI, 10. Horat. Epod. V, 94. Lucret. VI, 764. III, 52.) et cultus publicus privatusque iis institutus. Nam per cineres manesque ut Deos iurare pervulgatum est. Testis autem locupletissimus M. Varro, qui referente Augustino (C. D. VIII, 26.) „dicit, omnes ab his (paganis) mortuos existimari inanes deos, ut probat per ea sacra, quae omnibus fere exhibentur mortuis, ubi et ludos commemorat funebres tamquam et hoc sit maximum divinitatis indicium, quod non soleant ludi, nisi manibus celebrari.“ Quocum congruit, quod Labeo (apud Serv. Aen. III, 168.) dicit in libris, qui appellantur de diis animalibus: „esse quaedam sacra, quibus humanae animae vertantur in deos, qui appellantur animales, quod de animis fiant.“ Quam doctrinam ex Acheruntiis Etruscorum libris depromptam esse, nisi Labeo ipsos hos libros, ut Müllerus vult, (de Etrusc. III, 2, 4.) latine interpretatus, tantum alio titulo inscripsit, Arnobius docet adv. Gent. II, p. 87: — „a sciolis nonnullis dicitur — si vitam restrictius egerint, aulam sibi eius (Dei) patere, ac post hominum functionem — tanquam in sedem referri patriam — neque quod Etruria libris in Acheronticis pollicetur, certorum animalium sanguine numinibus certis dato, divinas animas fieri, et ab legibus mortalitatis educi.“ Ubi quin ea sacra, quibus funesta familia expietur, intelligenda sint, collato Cic. de legg. II, 22, de quo cf. c. 5. s. fin., dubium esse non potest. Nam tum demum locus religiosus factus est, quum gleba iniecta corpusque penitus hu-

maturum esset. Accedit Ciceronis ipsius auctoritas, qui de legg. II, 9. „Sacra", inquit, „privata perpetua manento. Deorum Manium iura sancta sunto. Sos (all. hos, fortasse tamen illud antique pro eos. cf. Fest. s. v. sos et sas.) leto datos divos habento. Denicales his privatae feriae constitutae, de quibus Cic. de legg. II, 22: „Nec vero tam denicales, quae a nece appellatae sunt, quia residentur mortui, quam caeterorum coelestium quieti dies, Feriae nominarentur, nisi maiores eos, qui ex hac vita emigrassent, Deorum numero esse voluissent." Itaque Virgilius Anchisen, filio per insomnium visum, coelo delapsum fingit (Aen. V, 722), quamquam ne hic quidem Graecis superstitionibus liber coelum cum Elysio paullo post confundit v. 735, qua de confusione alias diximus ad Propert II, 28, 29. III, 18, 31—34. Publice Feralia instituta, et stato die parentalia ab omnibus civibus ad tumulos propinquorum celebrata IX Cal. Mart. Cf. enim interpretes ad Calendar. Maffei. et Farnesian. ad Cic. ep. ad Att. VIII, 14. Horum sacrorum ritus luculentissime describit Ovid. Fast. II., 535 sq. Qui quum v. 567 dicat:

Nec tamen haec ultra, quam tot de mense supersint
Luciferi, quot habent carmina nostra pedes."

nihil aliud significare voluisse mihi videtur, quam fuisse quosdam, qui IX Cal. etiam sequentem diem addiderint. Ultra hanc tamen parentationes proferri nefas esse. Quo die, qui est a. d. VIII. Cal., si finis factus Feraliorum ex veterum computatione revera supersunt sex dies Februarii mensis. Februarius mensis hic ut ultimus antiqui anni destinatus. Quam ob rem D. Brutus Sisenna teste contra publicum institutum Decembri mense solus parentavit, quoniam hic mutato veteris anni ordine ultimus esset. Cf. enim Cic. de legg. II, 21, 5. fin., cuius loci lacunam Lambinus collato Plutarch. Quaest. Rom. XXXIV. docte admodum explevit. Sed, quoniam singulas, quae ad sacra funebria et parentalia pertineant, caerimonias pertractare, de quibus eos qui de ritu fune-

bri et iure manium separatim scripserunt, uberrimam materiem congessisse video, et longum est et a proposito alienum, nos illud modo demonstrare voluimus, revera pro Diis immortalibus habitos esse defunctorum manes; eos solum veteres et antiquis temporibus proximos, qui in universum id affirmant, audiamus. Quorum Tertullianus Apol. c. 13. „Quid", quaerit, „omnino ad honorandos eos (Deos) facitis, quod non etiam mortuis vestris conferatis? aedes proinde, aras proinde. Idem habitus et insignia in statuis. Ut aetas, ut ars, ut negotium mortui fuit, ita Deus est. Quo differt ab epulo Jovis silicernium, a simpulo obba, ab aruspice pollinctor? nam et aruspex mortuis apparet." Nec minus indignatus multis saeculis ante iam Plin. N. H. VII, 56. vanitatem hominum castigat, quae in mortis quoque tempora ipsa sibi vitam mentiatur: alias immortalitatem animae, alias sensum inferis dando et Manes colendo, Deumque faciendo, qui iam etiam homo esse desierit. Ubi diversorum populorum hominumque superstitiones eum tangere patet. Deos enim Manes esse, patria videtur Romanorum et antiqua religio, vanas contra de umbris, quae apud inferos exsangues circumvagentur, opiniones a Graecis potissimum acceptas, quas proprie diversas et secum pugnantes ut consociarent, mira commenta excogitaverunt. Quos Plin. l. l. irridens „quae", inquit, „ista dementia est, iterari vitam morte? quaeve genitis quies unquam, si in s u b l i m i s e n s u s a n i m a e manet, inter inferos u m b r a e?" Inventi tamen sunt, qui hoc argumentum putide dilatatum ad Aristotelis placita de quatuor hominis animis excoluerint, quorum sententias a Serv. gramm. ad Virg. A. V, 81 relatas curiosis inspiciendas relinquimus.

Cap. 3.

De Geniorum natura.

Contra apud Romanos Manes antiquitus Geniorum numero adscriptos, neque ab his alio nomine discretos fuisse, quam quod illi mortuorum, hi in universum hu-

manae animae divino honore mactatae crederentur, non uno antiquitatis exemplo docemur. Nam nullo saepissime discrimine utrumque nomen usurpatur. Sic ubi parentalium sacrorum originem in Aeneam referens Ovidius Fast. II, 545 ait:

Ille patris genio sollemnia dona ferebat
Hinc populi ritus edidicere pios.

Virgilius de eadem re loquens Aen. V, 97:

Vinaque fundebat pateris animamque vocabat
Anchisae magni, manesque Acheronte remissos.

Quamquam hic quoque Acherontis mentione facta Graeca Romanis miscere videtur. At ne illud quidem a Graeca superstitione alienum, quod mortui diva anima sepulcri sui regionem tuens serpentis sub figura Genius (cf. Serv. ad h. l. et ad Georg. I, 302. Plin. XVI, 85. Interpp. Pictt. Hercull. T. IV, tab. 13. et Signor. Aenn. (Bronzi) t. I, p. 197. Marini epist. ad Guattanium iterum expressa ap. Viscont. Mus. P. Cl. t. IV, p. 357. interp. Gall.) et tutelare nomen loci ab Aenea habetur v. 95: „Incertus, Geniumne loci famulumne parentis esse putet." Etenim proprie et priusquam Graecarum consuetudinum et nominum comparatione romana religio infecta esset, genius pro origine vocis Deus ingeneratus animo humano et quodammodo ipse animus, tamquam coelestis naturae particula habitus est. Itaque recte Censorin. de die nat. c. 3. „Deus est, inquit, cuius in tutela, ut quisque natus est, vivit. Hic sive quod una genitus nobiscum sive etiam, quod nos genitos suscipit ac tuetur, certe a genendo Genius appellatur." Hactenus utique Socratico δαίμονι proximus. Unde non iniuria et Appulei. de Deo Socr. p. 49 Elmenh.: „Quodam significatu est animus humanus, etiamnunc in corpore situs δαίμων nuncupatur — eum nostra lingua — poteris Genium vocare, quod is Deus, qui est animus suus cuique, quamquam sit immortalis, tamen quodammodo cum homine gignitur, ut eae preces testantur, quibus Genium precamur ad coniunctionem nostram." Itaque teste Martiano de nupt. II, p. 36. cum quis hominum genitus fuerit, mox ei-

dem copulatur. Postea demum naturarum similitudo eam nominum confusionem procreavit, ut Genii plane more graecorum δαιμόνων in universum fere pro diis minorum gentium tutelaribus acciperentur et colerentur. Hoc indicat Festus s. v. Genium p. 71 Lindem. Alii genium esse putarunt uniuscuiusque loci deum. Hi autem et alias et in inscriptionibus frequentissime commemorantur. Cf. enim VV. DD. ad Picturr. Hercull. T. V, tab. X. n. 3. tab. CX, n. 2. Viscont. in Mus. P. Cl. T. I, p. 101. interp. Gall., ubi Graecae inscriptioni ἀγαθῷ δαίμονι latina interpretatio subiecta, Gruter. C. J. VIII, 4. CV, 2. Spon. Misc. p. 113. 114. Muratori 2023,3. 2099,1. Fabretti Inscriptt. p. 79, 92. Orell. C. J. n. 1698. 1699. 1701. Add. Spanh. Numism. Diss. IV, p. 221. sqq. Drakenb. ad Sil. II, 585.

Cap. 4.

De Manium cultu juxta sepulcra instituto.

Quae confusio paene solemnis facta eo minus admiranda est, quod etiam Genii mortuorum, quos eosdem atque Manes esse vidimus, sepulcris adesse credebantur, tutelares ejus regionis quodammodo δαίμονες. Hoc quoque indicat Prudentius c. Sym. l. II, p. 318. Plantin. qui Genios locorum ipsos umbras appellat:

> *per omnia membra*
> *Urbis, perque l o c o s Geniorum millia multa*
> *Fingere ne propria vacet angulus ullus ab umbra.*

Hinc illa, de qua iam supra commemoravimus sepulcrorum inscriptio vulgatissima D. M., sepulcra ararum forma exstructa (ex quo Cic. Phil. 14, 13 fortium virorum sepulcra a r a s Virtutis appellat. Adde Virg. VI, 177: „a r a m - que sepulcri congerere arboribus, coeloque educere — certant", ubi Servius potius quam Forcell. lex. v. ara audiendus. Sil. Ital. XV, 388.), statuae iis impositae, viventis habitum imitantes, ut Deorum signa cultae, quas Arnobius significat loco C. 1. allato. Ad tumulum quotannis et alias publice et privatim Manibus preces fusae, auxilium sanctorum invocatum, hic lacte, melle, aqua,

vino, oleo libatum, ritu Graecis haudquaquam incognito. Qua in re praeter innumeros poetarum imprimis locos cf. Ovid. Fast. II, 535 sq. Tibull. II, 6, 31. ibiq. interpretes. Aesch. Pers. v. 610. Aesch. Choeph. 331. Soph. Electr. 453. Postea Caesarum temporibus usu venit, ut non modo sub effigie ipsorum hominum, sed etiam Deorum immortalium formis adscitis et vultui proprio accommodatis a superstiti familia colerentur. Hoc testantur et multa veterum signa (cf. Viscont. Mus. P. Cl. T. II, tab. 50 et 51. T. III, tab. 8.) et Statius Silv. II, 7, 124. mortuum Lucanum sic allocutus:

Haec (uxor) te non thiasis dolosis
Falsi numinis induit figuras,
Ipsum sed colit et frequentat ipsum
Imis altius insitum medullis.
Ac solatia sana subministrat
Vultus qui simili notatus auro
Stratis praenitet excubatque somno
Securae.

Apertius etiam V. 1, 231:

Mox in varias mutata (Priscilla) novaris
Effigies: hoc aere Ceres, hoc lucida Gnosis
Illo Maja tholo, Venus hoc non improba saxo
Accipiunt vultus haud indignata decoros
Numina.

Cap. 5.

De religione Manium et Larum olim indiscreta.

Jam vero, quoniam Manes apud sepulcra sua potissimum habitare ibique praecipue variis sacris coli videmus: Servius autem grammaticus Larum cultum eo usu ortum esse docet, ut olim mortui domi sepelirentur — propius iam ad nostrum argumentum accedimus. Haec autem ille ad Virg. A. VI, 152: „Apud maiores, ut supra diximus, omnes in suis domibus sepeliebantur. Unde ortum est, ut etiam Lares colerentur in domibus.“ Locus autem superior, quem hic significat, est ad V, 64: „Et sciendum, quia apud maiores ubiubi quis fuerit exstinctus, ad domum suam referebatur. — Sciendum, quia etiam domi suae sepeliebantur: unde orta est

consuetudo, ut dii penates colantur in domibus." De quo, quia penates et lares confundi apparet, infra iterum dicturi sumus (Lib. II, c. 4.). Caeterum hunc antiquum usum XII tabularum legibus vetitum esse consentiens multorum scriptorum auctoritas testatur. Inter quos Cic. de legg. II, 23. Isidor. XV, 11, 1. Serv. ad Virg. Aen. XI, 206. Posteaquam vero extra tecta et urbem mortui sepeliri coepti sunt, religio manium apud sepulcra colendorum mansit illa quidem (vide enim loca proximo capite allata) nihilo tamen secius domesticum cultum non destituerunt, sed Larum nomine et Geniorum simulacris apud focos aedium retentis solemnia facere ut antea consueverunt. His igitur initiis Larum religio, proprie eadem, quae Manium, separata est ab hac, quamquam gentiliciorum sepulcrorum mos, quibus quodammodo coniuncta mortuorum familia, et nova rogis constituta domus significaretur, usque ad novissima reipublicae tempora permansit, et ita religiosus habitus est, ut Cic. teste de legg. II, 22, extra sacra et gentes inferri fas negarent esse. Ut tamen quaedam gentes et Vestales virgines illa XII tabb. lege exceptae sunt, sic postea Caesares. (Cf. Cic. l. l. Serv. ad Virg. Aen. ll. cc.) Quorum sub imperio iussa legum, priusquam initio II. p. Chr. n. saeculi renovarentur (cf. enim Turneb. ad Cic. de legg. l. l.) minus severe exacta esse testatur Statius Silv. III, 3, 15.:

Non totus rapiere tamen, nec funera mittam
Longius: hic manes, hic intra tecta tenebo.
Tu custos dominusque laris: tibi cuncta tuorum
Parebunt; ego rite minor, semperque secundus
Assiduas libabo dapes et pocula sacris
Manibus, effigiesque colam; ite lucida saxa,
Te similem doctae referet mihi linea cerae.

Nam hic habemus recidivum veterum ritum Manesque Larum iure et domestica tutela iam privatos postliminio quasi quodam restitutos. Ex his autem quamvis iam nullo negotio effici possit, ut Lares Manibus Geniisque mortuorum sint adnumerandi, non desunt tamen, quae

idem apertius etiam demonstrant, veterum testimonia. Nam non ita dissident inter se Varronis sententiae, ut Arnobius jubet, qui (contra Gentes III, p. 124. ed. Lugd. 1651) quo absurdiores gentilium superstitiones esse demonstret, de industria omnia turbat et miscet. Tamen quum sic dicit: „Varro similiter haesitans, nunc esse illos Manes et ideo Maniam matrem esse cognominatam Larum: nunc aerios rursus deos et heroas pronunciat appellari: nunc antiquorum sententias sequens larvas esse ait Lares, quasi quosdam genios et functorum animas mortuorum": tantum abesse, ut illa inter se pugnent, ut optime conspirent collatis iis, quae de geniorum maniumque religione et modo diximus et statim dicturi sumus, apparebit. Depromptus est autem alter Varronis locus ex praefatione theologiae naturalis, ubi teste Augustino (Civ. D. VII, 6.) „Quas omnes quatuor (mundi) partes animarum esse plenas ait, in aethere et aere immortalium, in aqua et terra mortalium: a summo autem circuitu coeli usque ad circulum lunae aethereas animas esse astra et stellas, eosque coelestes deos non modo intelligi esse, sed etiam videri. Inter lunae vero gyrum et nimborum ac ventorum cacumina aerias esse animas et vocari heroas et lares et genios." Quae genera, quamvis paullo diversa, tamen ut cognata et συνώνυμα coniungi manifestum est. Nam geniorum naturam modo angustius, modo laxius definiri, ut non solum humanas animas et idcirco mortuorum Lares Manesque, sed ut omnes deos loci cuiusdam tutelares comprehendat, supra vidimus. Heroes autem a graecis fabulis in Romanam theologiam a docto Reatino arcessitos praecellentium solum fabulosae antiquitatis virorum animas immortales haberi, in vulgus notum est. Quamquam horum Graeca religio Lucano ob animum obversata esse videtur, quum Phars. IX, 7. Manes semideos appellaret. Itaque Cic. de Univers. c. 11, p. 508 Orell. graecum nomen δαίμονες quamvis ut in accommodandis diversorum populorum usibus par est, timide Lares latine convertit. Cui haud scio an ob oculos

versatus sit Hesiod. ἔ. v. 108 de animis mortalium saeculo aureo defunctorum sic agens:

> *οἱ μὲν δαίμονες ἁγνοὶ ἐπιχθόνιοι καλέονται*
> *ἐσθλοὶ ἀλεξίκακοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων*
> *πλουτοδόται, καὶ τοῦτο γέρας βασιλήϊον ἔσχον.*

Quae descriptio quam bene in Romanos Lares quadret, nisi quod hi non unius saeculi animae sunt, infra magis etiam apparebit. Hoc igitur separatiore sensu etiam Graeci *δαίμονες*, quos alias etiam Genios latine redditos vidimus, horum Romanorum naturae proximi et tantum non iidem. Qua de causa Censorinus de die nat. „eundem esse genium et larem multi veteres memoriae prodiderunt“, et haud cunctanter Festus. s. v. Laneae p. 91 Lindem. Lares, ait, animae putabantur hominum redactae in numerum Deorum. Quam opinionem philosophi sic sectae suae placitis accommodarunt, ut Augustin. C. D. IX, 11 Platonicos tradat „animas hominum daemonas esse arbitrari et ex hominibus fieri Lares, si meriti sunt boni: Lemures seu Larvas, si mali. Manes autem deos dici, cum incertum est, bonorum eos sive malorum esse meritorum.“ A quo non ita diversum, quod Appuleius habet de D. Socr. p. 50. Elm. „Est et secundo significatu (Genius) species Daemonum animus humanus emeritis vitae stipendiis corpore suo abiurans. Hunc vetere Latina lingua reperio Larem dictitatum. Ex hisce ergo Lemuribus qui posterorum suorum curam sortitus placato et quieto numine domum possidet, Lar dicitur familiaris. Qui vero ob adversa vitae merita nullis bonis sedibus incerta vagatione ceu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, caeterum noxium malis; id genus plerique Larvas perhibent. Cum vero incertum est, quae cuique eorum sortitio evenerit, utrum Lar sit, an Larva, nomine Manem — appellant.“ Cum quo paene ad verbum consentit Martian. Capella, quamquam priorum doctrinis veluti in corpus redactis origine vocabuli Manes altius repetita etiamdum viventis Genium ita appellandum

esse existimat. Sunt enim haec ejus verba Cap. 2. p. 40: „A medietate aeris usque in montium terraeque confinia Hemithei Heroesque versantur — ibique Manes i. e. corporis humani praesules attributi, qui parentum seminibus manaverunt. Verum illi manes, quoniam corporibus illo tempore tribuuntur, quo fit prima conceptio, etiam post vitam iisdem corporibus delectantur, atque cum his manentes appellantur Lemures. Qui si vitae prioris adiuti fuerint honestate in Lares domorum urbiumque vertuntur: si autem depravantur ex corpore Larvae perhibentur ac Maniae."

Haec autem testimonia, et quae iam allaturi sumus ita aperta, et vulgi sensibus hae superstitiones ita accomodatae, ut quomodo Heind. ad Hor. Serm. I, 5, 66. nihilo secius Lares Manesque eosdem esse negare potuerit, iure quem mirari subeat. Neque nobis officit Larvarum a Laribus distinctio, quam ut a multitudine factam sic in publicas et Pontificio iure sancitas religiones non receptam esse confidimus. Nam vocabulum ipsum Larva nihil videtur, nisi eiusdem vocis forma, ut in prisca latina lingua exuberans. Ab ipsa vero familia unumquemque mortuum, etiamsi dum vita manebat probe factis minime insignis fuisset, non larvam et terriculamentum, sed Larem et tutelare numen post mortem habitum et cultum esse, consentaneum. Denique significatio vocis manis, quae in composito immanis sermonis usu recepto etiamnum exstat, illud comprobat. Nam antiquos manum pro bono dixisse plurimi autores sunt. Cf. enim Varro de L. L. VI, 4. p. 3 Bip. Fest. v. Mane. p. 94 Lind. Macrob. Sat. I, 3. Isidor. Orig. V, 30. Schol. Acr. ad Hor. Carm. I, 4. Serv. ad Virg. Aen. I, 143.

Ad hanc igitur communem Larum Maniumque religionem referendum esse puto Cic. de legg. II, 22, qui post finem funestae familiae factum tamquam primum mortuo inter Deos recepto honorem habitum, antiquum ritum commemorat „quod genus sacrificii Lare vervecibus fiat." Sic enim legendum esse secundum optimos codd. mss. et Lare Dativum antique pro Lari dictum Schneider. de-

monstrat Lat. Gramm. II, 1, p. 203. Lares igitur, ut verbo dicamus, sunt genii et quidem divae defunctorum domus dominorum animae, quae pietate superstitis familiae inter coelestes relatae credebantur, domestici sive familiares dicti, quatenus dii tutelares aedibus pristinis adessent. Neque aliter hanc vocem interpretatur Isidor. Gloss. ex certissima Graevii emendatione: L a r, g e n i u s d o m e s t i c u s. Vulgo enim legebatur *Largens domesticus.*

Cap. 6.

De cultu Larum domesticorum.

Simulacra habebant et cultum in foco (Cf. in re satis nota Interp. ad Hor. Sat. II, 6, 66. I, 5, 65. Tibull. I, 10, 15. J. H. Voss. ad Virg. Bucol. I, 6—10. Plaut. Aul. II, 8, 15. „Tusculum emi, et hasce coronas floreas. Haec imponentur in foco nostro Lari.“ Add. locos cap. 10. citatos.) communi familiae sede et domus sacro penu, quae ob id ipsum deorum patriorum vicinitate privatarum aedium ara habebatur (cf. libro II, init.). Simulacra ipsa Gabino cinctu insignia, ut priscorum Italorum morem referrent, qui cum nec lacernam nec in bellum ituri brevius paludamentum in usu habebant, togam ad commodius progrediendum succingere solebant. Unde et illud in procinctu testamentum facere. Cf Müller. de Etrusc. T. I, p. 265. Viscont. Mus. P. Cl. T. IV, tab. 45, quamquam ibi in compitalibus Laribus praecinctam togam tunica succincta mutatam conspicimus. Fest. s. v. P r o c i n c t a c l a s s i s. Serv. ad Virg. Aen. VII, 612. Hinc Persius V, 31: „succinctis laribus“. Ovid. Fast. II, 634: „nutriat incinctos mista patella lares.“ Sic etiam Pici antiqui imago in Regia Latini trabea succincta conspiciebatur: Virg. Aen. VII, 188. Inter hilares totius familiae lusus et iocos comebantur, coronis hornis cingebantur, ture, pomis, libo, melle, vino, vel, si tantae divitiae suppeterent, agno et porco atque adeo vitulo piabantur. Haec autem sacra suavissime ut omnia adumbrat Tibullus (el. I, 10, 15—599.) quem locum et animi

causa, et quod cunctas, quas modo commemoravimus caerimonias continet, totum relegere iuvabit:

Sed patrii servate Lares —

Proprio et ad eum usum destinato scrinio asservabantur (lararium vocat Lamprid. Sever. c. 29 et 31.), quod diebus festis aperiebatur. Solemnia autem sacra habebant cum caeteris, de quibus videbimus, diis penetralibus menstrua (unde Virg. Ecl. I, 43: quotannis-bis senos cui nostra dies altaria fument) et quidem calendis. Itaque Propertius II, 3, 53:

rarisque assueta calendis
vix aperit clausos una puella lares,

quem locum, qualis in omnibus codd. mss. legitur, frustra vanis conjecturis tentarunt. Etenim ad tristitiam domus significandam Lares non a tota, ut moris erat, turba vernarum, sed ab una puella, cui proprium illud munus traditum erat, apertos et comtos esse ait, eaque paene invita nec nisi certis et constitutis usu diebus, h. e. calendis, quae idcirco rarae audiunt. Nam magis etiam religiosos praeter Kalendas Idibus quoque et Nonis sacra fecisse laribus, M. Cato testatur R. R. c. 143 de officiis villicae: „Kalendis, Idibus, Nonis festus dies cum erit, coronam in focum indat. Per eosdemq. dies Lari familiari pro copia supplicet.“ Nisi forte illud ad unum, de quo dicemus c. 10. Larem familiarem referre malueris. Praeterea tamen in communi domus laetitia etiam praeter ordinem omnibus Laribus factum et factitatum esse notum. Sic in amici cari reditu (cf. Juvenal. VII, 89.) sic die domini natali (cf. locos Cap. 8. et 6. allatos) vel cum bulla adulti juvenis familiaribus diis consecrabatur (Cf. interp. ad Pers. Sat. V, 31. Prop. IV, 1, 132. Scholl. ad Hor. Sat. I, 5, 65.) vel quandocunque domino voti compoti quid ex animi sententia cesserat. Cf. Hor. Sat. II, 3, 165. Juven. Sat. XII, 113. Tibull. I. 1.

Publico praeterea quodam, quamvis inter privatos et solos cognatos, celebrabantur instituto, Charistiorum festo die. De quo cf. Ov. Fast. II, 617. Huius autem

diei religio, artissime cum Feraliorum sacris coniuncta, quae pridie Charistia fiebant, ea, quae supra de indiscretis Manium Larumque numinibus disputavimus, et quae de publicorum Larum cultu infra dicturi sumus, affirmat. Nam quum feralia ipsa nihil nisi verae parentationis mortuorumque expiationis simulacrum, memoriae causa in honorem D. M. repetitum, esset, eodem modo quo post finem funestae familiae factum Lari verveces sacrificatos esse Cicero docet, Charistia Larum sacra Feralibus adiuncta sunt. Cuius ritus originem sicut omnia fere Romanae antiquitatis sacra — nam de feralibus vulgo haec fides obtinuit — in Aeneam auctorem referre voluisse Virgilius videtur. Nam hic postridie parentales ludos anniversario sacro in honorem paternorum Manium institutos, patris imagine noctu coelo delapsa et per insomnium visa docet Aen. V, 743:

Haec memorans cinerem et sopitos suscitat ignes
Pergameumque Larem, et canae penetralia Vestae
Farre pio et plena supplex veneratur acerra.

Idem autem hic Charistiorum dies Lares generis deos et familiae quatenus eiusdem originis vinculis iuncta est praesules fuisse demonstrat. Nam soli cognati et affines in huius diei honorem adhibebantur (Ovid. l. l. et Valer. Max. II, 1.) laresque, quibus sacrae dapes mittebantur, disertis verbis dii generis boni ab Ovidio l. l. V. 631. appellantur. Hinc et bullarum consecratio, et tutela nuptiarum, quas felices et fecundas reddere credebantur, unde Plaut. Aul. II, 7, 16: „Haec imponentur in foco nostro Lari, ut fortunatas faciat gnatae nuptias."

Cap. 6.

De genio virorum et de Junone mulierum.

Itaque non aeque omnibus illum honorem defunctis tributum, sed familiae quondam praesides prae caeteris post mortem divos domuum et finium, quos vivi rexerant et auxerant, tutores habitos esse consentaneum est. Co-

lebantur enim non solum tamquam dii patrii (Tibull. I, 10, 15. Plaut. Aul. Prol. „familiae Lar pater" init. all. passim) sed, ut vidimus tamquam Dii generis. Generis autem, ut vivus praeses et patronus naturalis paterfamilias est, sic post mortem huius prae caeteris erit, deum factum progeniem suam tueri. Nam eos genus prole fulcire non posse patet, qui ante pubertatem mortui necdum e patris potestate dimissi sub tecto domus sepulti essent, quorum sepulcra, si XL. diem infantes nondum explevissent subter suggrundis domuum facta, suggrundaria appellata esse, Fulgentius docet Exp. Serm. ant. p. 171. Munck. Hi tamen quominus communis honoris prorsus expertes essent, religiosa Romanorum hominum pietas prohibuit. Separatim igitur grundilium Larum nomine culti (Cf. Arnob. I. p. 15.). Hanc enim eius nominis propriam significationem esse J. G. Vossius (Etym. s. v. Suggrunda) sagacissime divinavit, Cassii Heminae (ap. Diomed. I, p. 379 pr.) eiusque sectatoris Nonii (p. 1338, 55 Bas.) grammaticis deliciis, qui a grunniente porco dictos esse volunt, merito reiectis. Adulti contra iuvenes, qui res suas sibi habuerunt, domumque novam et familiam sibi condiderunt, pristinis in aedibus, post mortem lares, quos mortuorum genios, proprie tumulum, iam vero focum aedium tuentes, esse memineris, ipsi coli non potuerint necesse est, sive paternos deos ipsos in novas sedes transtulerunt, sive, quod in pluribus filiis necessarium, his similia et ad eorum vultus expressa signa in novo foco collocarunt. Rursus mulieres, quae vivae nullum Genium habebant, mortuas Larum numero contineri non potuisse sequitur. Qua in re ego C. O. Mülleri sententiae accedere nequaquam possum, qui de Etrusc. II, p. 90. ideo Genium viris nec Geniam mulieribus adesse coniicit, quod generandi non pariendi is deus esset. Nam genius, ut vidimus, non generandi actioni, ideoque viro, quoniam gignit, praeest, sed homini quatenus gignitur, posteaque, quatenus genitus est, eamque ob causam non magis viris, quam mulieribus po-

tuisse adesse cogitur. Neque igitur diis medioxumis sive Semonibus (de quibus optime, ut assolet Klausen. disputavit in libello, qui est de carm. fr. Arv. s. fin.) adnumerandus est, nec consentium Deorum iis, qui humani animi alicui indoli praeessent, eamque in tutela haberent, sed ut iam vidimus, et recte Seneca ep. 110 affirmat, aeriis diis illis, quos de plebe Deos Ovidius vocat. Nam semonum munere, eorum, qui hominum diversis naturis et negotiis praeessent, etiam consentes Deos ita fungi, ut qua quisque indole maxime excellit, ea ab humana natura seiuncta in coelestem ordinem referatur, Martis, Junonis, all. exempla docent, quorum ille mentis praecipue virilis ferociam, haec Romanae matronae maiestatem significaret, Venus autem omnem naturae amabilitatem et lepores contineret. Itaque quum Seneca l. l. singulis hominibus et Genium et Junonem additos esse ait, alterum animum ipsum vitae comitem custodemque, alteram maiestatem animo innatam intelligimus. Quodsi feminas non per Genium suum sed per Junonem suam iurare animadvertimus (Cf. enim praeter Müller. l. l. Burm. ad Petron. 25. Dissen. ad Tibull. III, 6, 48. Schmid. ad Hor. epist. II, 1, 144. Vulp. ad Tibull. III, 6, 15), non quod vulgo hinc colligitur, sequi existimo, ut, qui virorum Genius eadem mulierum Juno fuerit: quasi aut viri nullam Junonem aut mulieres non etiam per alios deos suos iurare potuerint, ut est ap. Tibull. IV, 13, 15:

Etsi perque suos fallax iuravit ocellos
Junonemque suam perque suam Venerem.

Sed hoc utique colligere et licet et necesse est, ut mulierum animus multis modis virili inferior ne dignus quidem creditus sit, qui pro tutelari illo et humanae naturae caeteroqnin communi numine vivus et ipse divino honore augeretur. Itaque illis Juno et Venus et si quae aliae medioxumae divae aderant, has suas colebant, per has iurabant, has propitias sibi optabant. Quamquam hoc non infitiandum, Junonem Romanae matronae

Cap. 7.

De Dîs genitalibus.

Generandi tamen gravissimae actioni, quum sui custodes et semones deesse vix potuerint, quoniam ne levissima quidem vitae res sine eorum ope perfici credebatur: huc Premam istam et Pertundam et Subigum referendos esse, de quibus cf. Augustin. de C. D. VI, 9. med. Arnob. IV, p. 131. Tertull. ad nat. 2, 11. eosdemque esse, qui in nummis **Genitales Dii** vocantur (sic in nummo Crispinae Augustae uxoris Commodi ap. Eckhel. de Numm. Vett. T. VII., p. 139) facilis coniectura est. Hos eosdem **Conserentes Deos** esse existimo, quibus Arnobio referente (C. G. V, p. 169.) Ocrisia gravida facta Servium peperisse credebatur, quum alii eius originem ad Larem familiarem referrent. Quorum numero Junonem accenseri, cui Pronubae in iungendo cum sponsa marito prima, Lucinae in edendo partu ultima generationis cura esset, mirum esse vix cuiquam potest. Neque igitur Bentleio, qui quamvis doctissima, properante tamen manu in carm. Saecul. Horat. V. 16. et poetae ipsius et Porphyrionis scholiastae incorruptam scripturam spuriam esse arguens pro **Genitalis Genethyllis** reponit, subscribam, praesertim cum ne sic quidem aliud, quam pro Latino Graecum vocabulum nancisceremur, res intacta maneret. Quod autem Ennius (ap. Serv. ad Virg. Aen. VI, 764.) eumque imitatus Ausonius perioch. Iliad. 4. Deos maiorum gentium in universum genitales appellant, quum ille:

> *Romulus*, inquit, *in coelo cum Dis genitalibus aevum*
> *Degit.*

hic:

> *Jupiter interea cum Dis genitalibus una*
> *Concilium cogit Superum de rebus Achivis,*

id origini et stirpi vocis accommodate de Diis aeternis superis creatoribus et generatoribus huius mundi accipere eo minus dubito, quo certius apud Festum s. v. p. 72. Lindem. **genitales dii** pro **geniales** legendum esse

confido. Quaecunque enim huius loci depravatissimi vera lectio fuit, hoc certum, Genitalium ibi deorum nomine rerum elementa, aquam terram ignem aerem comprehendi: — haec autem ipsa Ovid. Metam. XV, 239. Corpora quatuor genitalia appellat — XII signa et planetas, quibus graeculi philosophi antiquas religiones suo modo interpretati eos Deos significabant, per quos vulgus mundum generatum esse putabat. Praeterea, quae de Diis genitalibus ad illum Horatii locum vanis potius hariolationibus, quam certis argumentis diputata sunt, a Forcellinio, quod miror, recantata et cum Bentleii sententia plane contraria confusa, ea hic repetendi nec locus est, neque animus.

Cap. 8.

De coniuncto Larum familiarium et Genii cultu.

His autem, quas proposuimus, rationibus efficitur, ut Lares domestici, Dii generis tutelares, non generatim animi mortuorum, sed dominorum divae animae fuerint. Horum enim simulacra ex ordine posita familiae seriem usque ab auctore gentis ducebant. Quocum et ratio nominis Lar aptissime congruit, et quod superstitis etiamdum domini Genius, non ille quidem ipse iam Laribus adscriptus, quod festinantius, quam verius Vossius ad Virg. Ge. I, 302. all. affirmant, sed simul cum Laribus in foco colebatur. Neque illud iniuria. Nam ipse, quamvis non generandi deus medioxumus, tamen deus generis, sine quo, cum patris familias vitalis anima esset, genus propagari non posset. Tamenetsi enim cum ipso demum natus esset, tamen ut vis ignea divinitus immissa (cf. Lucilium apud Varronem V, 63. p. 25. Müll.) vitam dedisse et genuisse eum videtur, neque si sic accipias absonum, quod Festus s. v. *genium* ait p. 71. Lindem. „Genium appellabant deum, qui vim obtineret omnium rerum gerendarum" (l. genendarum coll. Augustin. Civ. D. VII, 13, qui eadem habet verba) Aufustius: Genius est filius deorum et parens hominum, ex

ex quo homines gignuntur. Et propterea genius meus nominatur, quia me genuit. Scilicet non, quia me in generando adiuvat. Cf. locos cap. 3. allatos. Quamquam, ut diximus, cum vita alienae vitae procreandae facultatem nobis tribuit, ideoque non modo ut vitam protendat, verum etiam ut prolem subministret, advocatur. Cf. Tibull. II, 2, 21. De genio enim Joviali, quem Jovis genium aliter dici non potuisse, quam meus Genius apud Aufustium, sequitur, cf. Lib. II, 15. Tagetem autem Genii filium, Jovis nepotem quod Etrusci tradunt, (Festus s. v. p. 273 Lindem.) nihil aliud videntur fabularum ambagibus circumscripsisse, quam Tagetem, ad quem omnium rerum divinarum doctrinam rettulerunt (Müll. de Etrusc. III, 2, 3.), mentis acumen esse, quae divinae animi naturae et Genio originem debeat, ipsi a Jove, ut omnes fuerunt animae, procreato, et pectori humano immisso.

Hic igitur Genius domini, si nihil aliud ratio loci iubet, intelligendus est, ubicunque nullo cognomento Genius commemoratur. Nam singulos Genios tantum in singulis domibus vulgo cultos esse, comparato, quem supra attulimus Censorini loco apparet, eo igitur nomine a Lare distinguitur. Theod. M. L. 10. C. Th. de Paganis: „Nullus omnino secretiore piaculo Larem igne, mero Genium, Penates nidore veneratus caett.“ Alia dabunt Lexica. De cultu autem genii omnia fere in vulgus nota. Et alias et die natali, qui idem genii natalis erat, floribus, vino (Hor. epp. II, 1, 143. A. P. 310. Pers. Sat. 2, 3.) pulte, ture (Plin. XVIII, 8. 19. Ovid. Am. I, 8, 94. Tibull. I, 7, 50. II, 2, 3. IV, 5, 9. ibique interpp. Appulei. de Mund. p. 74 Elm.) vel etiam, extremis certe reipublicae temporibus cruenta hostia placabatur (Cf. enim Hor. Od. III, 17, 14. IV, 11, 7. Liv. XXI, 62. Maecen. ap. Senec. ep. 114.), quamvis olim aliter fuisse, Varro ap. Censorin. docet, de d. nat. c. 2. „Hic forsitan quis quaerat, quid causae sit, ut merum fundendum Genio, non hostiam faciendam putaverit: quod scilicet, ut Varro testatur, id moris institutique maiores nostri tenuerunt,

ut cum die natali munus annale Genio solverent, manum a caede ac sanguine abstinerent, ne die, qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent." Quibus in sacris epularum lautitiae solemnes eum loquendi usum procrearunt, ut genio indulgere idem esset, quod opipare vivere, defraudare, quod sordide. Cf. Voss. ad Virg. Ge. I, 302. Creuzer de Symbolis et Myth. T. II, p. 36, 50 sq. all. plurr. Neque minus notum, sanctissimum fuisse quod iam supra attigimus per proprium et alienum genium iuramentum. Horat. epp. I, 7, 94. Sueton. Cal. 27. Tibull. IV, 5, 8. Tertull. Apol. c. 27 et 32. Senec. ep. 12.

Cap. 9.

De Genio post mortem domini inter Lares recepto.

Mortui autem et penitus humati domini nomen Laribus ipsis additum, fortasse etiam idem simulacrum, quod, dum vivebat, Genii erat, in Lararium receptum et inter paternos Deos cultum. Diversum tamen suadere possit quum Geniorum Larumque, qualis in antiquis signis et typis conspicitur, habitus (quamquam quos certo pro Laribus habendos esse scimus, hi compitales sunt, non domestici — cf. tamen locos supra cap. 5. allatos) tum, quod inter illud tempus, quo vivi hominis genius in foco coleretur et inter illud, quo Lar patriis diis additus divino honore augeretur, spatium intererat, quo familia funere polluta et funesta haberetur. Nam ut tumulus ipse, qui mortui corpus capiebat, non prius locus religiosus habebatur, quam gleba iniecta et homo penitus humatus esset, sic credibile est, abolito veteris Genii simulacro post funera novum Larem avorum scriniis additum esse. Nam tum demum, omnibus funeris caerimoniis rite peractis Lari, ut vidimus, vervecibus fiebat. Cic. de legg. II, 22. — Adversus haec, quae rerum ipsarum potius necessitate coacti quam calumniosis argutarum raciocinationum artibus ex integris antiquitatis testimoniis videmur collegisse, unus alterve Horatii

locus, ubi Genius humanus mortalis esse dicitur, nihil valebit. Tamenetsi enim epp. II, 2, 189 sq.:

> „*Genius, natale comes qui temperat astrum*
> *Naturae deus humanae mortalis in unum-*
> *Quodque caput*" —

sive verba „in unumquodque caput" ad mortalis sive, quod malim, ad temperat refers, mortalem esse Genium, quin Horatius significare voluerit, dubitari non potest, neque aliter accipiendum esse patet, quod epist. I, 1, 144. „Genium memorem brevis aevi" dicit: tamen haec opinio tantum abesse, ut ex antiquis P. R. religionibus repetita sit, ut Horatius eam hactenus solum adoptaverit, quatenus poetico argumento idonea videretur, caeterum Epicuri de mortalitate humani animi placitis obsecutus etiam Genium mortalem proprio, ut aiunt, Marte fingere conatus sit, certo confidimus. Quamobrem nos, unde eius loci interpretes nescio quam reconditam et mysticam doctrinam hauserint, qua genios hominum cum ipsis mortuis dissipari et quodammodo diffluere, tum fluminis instar in vastum immensi vacui gurgitem et veluti communem animarum oceanum delapsos colligi creditum esset, penitus nos nescire ingenui profitemur, nisi forte ille fons locus est Macrobii perperam intellectus Sat. I, 10: „existimaverunt antiqui animas a Iove dari, et rursus post mortem eidem reddi." Quem locum de animis post mortem coelestium numero additis interpretari coll. locis c. 2 et 4. citatis non dubitabis.

Cap. 10.

De Lare, qui prae caeteris dicitur familiaris.

Quo argumento multo fortius id contra nostram sententiam inferri possit, quod saepissime unius tantum Laris familiaris mentio fiat. Cuius rei exempla ut plurima sunt, et facillime tum ex aliis locis a me allatis tum ex Appuleio de Deo Socr. p. 50. repeti possunt, sic unum tantum diserte commemorare volui, quo ipse Lar familiaris ita loquens inducitur, quasi praeter eum nullus do-

mui adesset. Est autem apud Plautum Prol. Aul. statim ab initio:

> *Ego Lar sum familiaris ex hac familia*
> *Unde exeuntem me aspexistis. Hanc domum*
> *Iam multos annos est, quum possideo et colo*
> *Patrique avoque iam huius, qui nunc hic habet.*

Neque tamen illud mirum. Nam inter deos generis conditoris familiae et atavi divam animam prae caeteris cultam esse consentaneum est. Hic praestantissimus aedium custos, hic praecipuus foci cultor. Huic secreta domus optime credebantur. Cf. Appul. Flor. p. 349. Unde Plautus l. l. v. 7:

> *Sed avos mihi huius obsecrans concredidit*
> *Auri thesaurum, clam omnis in medio foco*
> *Defodit venerans me, id uti servarem sibi.*

Hinc reliqui minores omnes originem duxerunt, hic igitur instar omnium Lar familiaris appellatur. Hic etiam primus foco impositus, neque ut videtur larario conditus, sed semper conspicuus. Nam filia domini ei „cottidie aut ture aut vino aut aliqui semper supplicat; dat ei coronas.“ Cf. locum Catonis R. R. 143. citatum c. 5. Ad eum igitur pertinet fabula, qua Ocrisia serva, porrecto e cinere foci membro viri genitali a Lare familiari praegnans facta traditur, quae est apud Plin. N. H. XXXVI, 70. Unde Dionysii locum, de eadem re agentis Ant. Rom. III, 2. *μιχθέντος δέ τινος αὐτῇ θεῶν ἢ δαιμόνων καὶ μετὰ τὴν μίξιν ἀφανισθέντος, εἴτε Ἡφαίστου, καθάπερ οἴονται, εἴτε τοῦ κατ᾽ οἰκίαν ἥρωος ἐγκύμονα γενέσθαι* — sic rescribere non dubitarem *ἀφανισθέντος Ἐφεστίου καθάπερ οἴονται τοῦ κατ᾽ οἰκίαν,* nisi facillima Laris focum colentis et graeci Vulcani iam in nominibus graecis ipsis esset confusio, eamque apud antiquos obtinuisse Ovidius testaretur, qui haud dubie Graecos autores sequutus ipse Vulcano gravidam factam refert Fast. VI, 627. Hic etiam fortasse fuerit Genius ille Lateranus (de quo Arnob. adv. Gent. IV, 130.) qui simul cum foco natus, a lateribus, quibus ille exstructus, nomen accepit. Hic enim, si antiquitati fides,

flammas excitat, vasa fictilia servat, cibos praegustat, culinas sedulus percurrit, domino omnia salva praestat. —

Haec quidem de Laribus domesticis eorumque cultu satis dicta sunto. Accuratius autem hanc materiem excutere et in ordinem redigere voluimus, nec in finem intentum animum relictis loci spinosi salebris ad iucundiora properare passi sumus, quo firmioribus substructis fundamentis facilis et ab omni parte munita via ad reliquam disquisitionem pateret.

Cap. 11.

De Laribus publicis.

Populum Romanum quoniam semper id prae caeteris orbis terrarum populis egisse viri docti nunc omnes consentiunt, ut res privatas nihil nisi totius civitatis integras quasdam partes et singulos cives, unius se quodammodo corporis membra esse, memores significaret: factum esse existimo, ut privatis institutis publicam sanctionem tribuere fere conaretur et, quae singulis familiis et gentibus propria essent, aucta rei maiestate ad universam rem publicam transferret. Neque vero illud magis in rebus profanis, quam in sacris. Duplici tamen modo id fieri potuisse liquet. Primum enim ea, quae non tam peculiari et domestica superstitione, quam communi maioris civium partis, quamvis ne sic quidem publica opinione, recepta sunt, lege sanciuntur, et Senatus consulto Populique iussu in publicum usum transferuntur, ut. quum externi Dei in paucorum primum domus adsciti mox cultu gliscente et vulgi pectora altius sensim occupante postremo publica voluntate sancti votis et dedicatis a magistratibus templis Romana numina facta sunt. Cui diversa altera ratio haec est, ut civitas unam quodammodo gentem affinitatis vinculis iunctam efficiens et ad communem stirpem vel adeo ad unum atavum originem et nomen referens, ea quae per singulas domus dispersa inveniantur, colligat, et quoniam ipsa summum et perfectum familiae unius magnae exemplar in singulis familiis repetitum et expressum

videri vult, privatarum religionum ad instar publicam instituit caeteris sanctiorem et augustiorem. Quo in genere Terminaliorum sollemnia Arvalibus sacris alias (Cf. enim: De Ambarvalibus et Amburbialibus sacrificiis caett. in Horreo philol. et paed. anni 1839. Vol. V, fasc. 3. p. 413—424.). Feralia parentationibus privatis conformata primo harum quaestionum capite vidimus. Utramque autem viam Romanos in Laribus sequutos esse ex iis, quae iam prolaturi sumus, apparebit.

Ut enim Manes patrumfamilias Larum nomine privatarum aedium tutores habebantur, sic virorum de re publica bene promeritorum, quibus publicae etiam sepulturae honor posterioribus tempestatibus contigit, Publici Lares crediti sunt. Si qui enim loci talium virorum sepulcris religiosi et prae caeteris sacri haberentur, his vulgus Lares suos adesse confidebat. Hoc testatur Servius, qui ad Virg. Aen. III, 302: „Lucum," inquit, „nunquam ponit sine religione. Nam in ipsis habitant manes piorum, qui Lares viales sunt." Vialium autem appellatione hic id genus omne contineri patet, quod non privatis sacellis in domuum penetralibus, sed publice et sub divo coleretur. Quod clarius etiam apparebit coll. Labeon. ap. Serv. ad Aen. III, 168, quem locum infra (L. II, cap. 4.) excutiemus. Cui fidei quum publica probatio minime defuerit, factum est, ut Plinius publicorum et privatorum nomine utrumque genus discerneret, N. H. XXI, 8: „Et iam tunc coronae Deorum honos erant et Larium publicorum privatorumque ac sepulcrorum et Manium." Hi Lares Publici etiam in inscriptionibus dicuntur, ap. Orell. n. 1668. 1669. 1719. Heroibus Graecis recte contuleris. Qua re Prudentius adv. Symm. I, 190 sq.: „Et tot templa Deum Romae, quot in urbe sepulcra Heroum numerare licet, quos fabula Manes nobilitat, noster populus veneratus adorat." et Dion. Hal. IV, 14: ἥρωας προνωπίους Lares Compitales appellat, neque Horatius eorum religionem cum Graecis Hercule et Castore componere dubitat, Od. IV, 5, 34 sq.:

et Laribus tuum
Miscet numen, uti Graecia Castoris
Et magni memor Herculis.

Cap. 12.

De Laribus publicis gentiliciis.

Nec vero huc non referre possumus Argeorum sacra, subobscura illa quidem, sed sine dubio gentilicia, dummodo antiquam gentium appellationem *θέσει* potius, quam *φύσει* ortam esse memineris. Cf. Niebuhr. H. R. T. I, p. 325. Plurimi enim hos Argeos heroes crediderunt, Herculis comites — quamquam variarum fabularum dissonantia argumenta ad concentum revocare difficile est — quibus sacella per XXVII partes urbis disposita communi accolarum cultu vicinitates, relata ad suum cuiusque fictum atavum et *ἐπώνυμον* origine, coniunxisse videntur.

Sacellorum enim horunce institutionem communione religionum et distributione vicorum non alienam fuisse, nisi qui occupata opinione Varronem adeat, non neget. Cf. enim Bunsen. Descript. Urbis Rom. I, p. 695 sq. contra libellum C. O. Mülleri, qui inscribitur: „Zur Topographie Roms“ in Actis Archaeologicis Roettigerianis Vratisl. 1828. p. 69—84. Prorsus autem de sacrorum horum natura ambigi non patitur Dionys. Halicarnass., qui cum ipse Argeorum numerum XXX fuisse dixisset (A. R. I, 38, quo de loco infra videbimus c. 18.) postea gentilicia curiarum XXX sacra describens, quin haec ipsa Argea intelligat, dubitare nefas. Haec enim ille: *διὰ ταῦτα μὲν δὴ κοινὸν ἱερὸν οὐ κατεσκευάσατο τῆς Ἑστίας, οὐδὲ ἱερείας ἔταξεν (ὁ Ῥώμυλος) αὐτῆς παρθένους· ἐν ἑκάστῃ δὲ τῶν τριάκοντα φρατρίων ἱδρυσάμενος ἑστίαν, ἐφ᾽ ἧς ἔθυον οἱ φρατριεῖς, θυηπόλους αὐτῶν ἐποίησε τοὺς τῶν κουριῶν ἡγεμόνας.* — Quid enim? focos habemus non illlos quidem, ut Vestae (Lib. II, c. 8.) populi universi, sed gentium publicos, quarum communis quamvis ficta origo — recte enim ab ipso Dionysio graecis phratriis comparantur — sacrornm communione signi-

ficaretur. His curiae unius cuiusque princeps et quodammodo pater, ut in privatis aedibus paterfamilias supremus sacerdos praeerat. Quid igitur dubitemus, heroes in illis focis cultos curiarum atavos divorum numero additos, h. e. Lares publicos dicere. At utcunque illud se habet — accuratiorem enim huius loci disquisitionem praemissis aliis argumentis infra iterum aggressuri sumus (cap. 24.) — fuisse tamen numina tutelaria publica privatis Laribus simillima, nec nisi tutelae maiestate diversa, quum hi totius Romanae gentis eam curam gererent, quam privati singularum familiarum, esse autem hos ipsos Lares nominatos, certum est.

Cap. 13.

De Laribus Ruralibus, Vialibus, Hostiliis, id genus aliis.

Itaque ut domum et fundum familiae suae quisque tuebatur Lar familiaris, sic publice quodammodo agrorum tuendorum munus sortiti agrestes Rurales appellati sunt. Hi illi sunt, qui in carmine Arvalium fratrum prisca forma advocantur Lases ap. Orell. n. 2270. Cf. Marin. Atti de' frat. Arval. T. II, p. 603. Klausen. in carm. fratr. Arval. p. 62. Hos Cicero significat II, 8: „Lucos in agris habento et Larum sedes" et Servius ad Virg. Aen. I, 441: ubicumque Virgilius lucum ponit, sequitur etiam consecratio, ut (9, 3.): Luco tum forte parentis caett. Unde et in sexto (673): Nulli certa domus: lucis habitamus opacis. Dicuntur enim heroum animae lucos tenere. Horum meminisse videtur Tibull. I, 1, 11: Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris seu vetus in trivio florea serta lapis. Nam etiam horum cultum talibus potissimum locis adhaesisse, quibus antiquum ignoti fortasse viri sepulcrum maiorum venerationem tribuisset collatis Cic. et Serv. l. l. iisque, quae in Argeorum religione infra adnotabimus, verisimile est. Certe Manium memoriam quamdam in his obtinuisse, Arvalium fratrum acta testantur. Nam ut post privata pa-

rentalia Genio mortui iam Lari facto vervecem immolatum esse vidimus (Cf. enim Cic. de legg. I, 22. Lib. I, c. 2. citatum) sic his publicis Laribus ab arvalibus fratribus, quotiescunque Deae Diae sacra facienda erant, vervecibus factum, simulque Matri Larum duos oves. Nam sic in Tab. XLIII. p. CLXVII. ap. Marinum: LARIBVS VERVECES. N̄. II. MATRI. LARVM. OVES. N̄. II. Eadem verba Tab. XXIII. Marin. p. CXXXI. ap. Orell. n. 2269. Tab. XXXII. ap. Orell. n. 2270. Tab. XLI. n. 2271. Orell. ibid. 5054. Quodsi C. O. Müller de Etrusc. III, 4, 11, n. 76. non modo de Laribus Ruralibus, verum etiam de privatis cogitandum esse ideo censet, quod alibi — quamquam, quem locum significet, quoniam Marini liber nunc nobis ad manus non est, ignoramus — etiam Manes pro Laribus commemorentur, tantum abest, ut illius sententiae accedamus, ut nihil nisi etiam publicorum et ruralium Larum religionem e Manium cultu ortam esse, eo demonstrari confidamus. Neque hos caruisse publica sanctione, sed etiam intra urbem proprio templo cultos esse inscriptio testatur apud Orell. n. 5, Grüter. 249, 8—251, ubi in Reg. XIV. Ruralium Larum aedes commemoratur, quocum facit P. Victoris, qui dicitur, Descriptio urbis ap. Graev. Thesaur T. III, p. 48. Accommodata enim admodum videtur regio trans Tiberim sita, ut quae, quamvis manium ambitu contineretur, tamen quodammodo suburbana et rustica esset. Quam eandem ob causam in Exquilino colle diu inculto et arboribus obsito lucum Laribus dedicatum esse existimo, cuius Varro meminit V, 49. Müll. Nam hoc etiam praeter rationes supra memoratas Romanarum religionum insigne, quod d i v e r s a s u n i u s n u m i n i s n a t u r a s e t v i r e s s e p a r a t a s, q u a s i n o v o s D e o s singulatim venerari instituerunt. Veluti quum non uno Iove O. M. contenti Statorem, Tonantem, Feretrium addiderunt. Quod in Laribus item evênit, vestigiis tamen proprii instituti et domesticae originis semper servatis.

Nam ut privati Lares integritati familiae et domus

consulebant, luem pestem vastitatem ipsis et agris arcebant, peregre profectos vel bello tuebantur et praemia salvi reditus accipiebant, unde Tibull. I, 10, 25:

At nobis aerata, Lares, depellite tela
Hostiaque plena rustica porcus hara.

et Propert. II, 30, 21:

Nunc paras — —
— ferre ad patrios praemia dira lares

sic primum publice Viales Lares culti sunt, quorum opem viatores implorarent, ut domo profecturus Charinus ap. Plaut. Mercat. V, 2, 22:

Inuoco vos Lares Viales, ut bene me tutetis.

Et hoc quidem vialium Larum (quibus dedicata monumenta apud Orell. n. 1672. 1894. Gruter. 78, 1. all.) munus proprium fuisse docet inscriptio ap. Orell. 1762, ubi simul cum Fortuna reduce commemorantur. Neque igitur cum compitalibus Laribus confundendi (quod Viscontius Mueller. all. fecerunt), quorum Arnob. c. Gent. III, p. 124 meminisse videatur, ubi „Lares", inquit, „arbitratur vulgus vicorum atque itinerum deos esse." Iter enim illic nihil nisi via, platea.

Defunctorum manes et ipsos habitos esse, coll. Serv. Virg. Aen. III, 302 supra observavimus. Verum ne his quidem peregrinantium tutoribus, quatenus etiam publicis Romanorum expeditionibus, navalibus certe, propitii adessent, publice datum templum defuit. Votumque Laribus Permarinis delubrum a L. Aemilio, dedicatum in Campo a P. Aemilio victoriae navalis ergo de Antiochi regis praefectis reportatae. Cf. enim Liv. XL, 51. His ferias celebratas XI. Kal. Ian. Macrobius docet Sat. I, 10. Qua re recte restitutum a Foggino fragmentum Fastorum Praenestinorum . . . . RINIS. IN. PORT. h. e. polluсetur Laribus Permarinis in portubus. Caeterum eosdem esse, quos Varro ap. Nonium s. v. strophium Marinos appellet, facilis coniectura est, quamvis vet. Lex. ap. Turneb. Adv. XX, 35 alterum Permarinorum nomen tueatur. Neque huc iniuria quis pertinere cen-

seat Afranii versum in Prodito (ap. Fest. p. 229 Lindem.): „Remeligo a Laribus missa sum hanc (?) quae cursum cohibeam navis.“ Inter quos num Portumnus recensendus sit, pro certo affirmare quamvis non ausim, verisimile tamen iccirco videatur, quod Graeci Palaemonis comparatio Romanum quoque numen humanam animam post mortem inter Deos relatam fuisse persuadet. Ab hoc genere non ita diversa ea Larum publicorum natura, qua, ut privati a domo et agro, sic hi civitatis finibus hostes arcere credebantur. Quod Punici tumultus tempore factum esse Propertius tradit, cum III, 3, 10: „Hannibalem Lares Romana sede fugantes“ canit. Videntur autem hoc officio separatum meruisse cultum. Nam novum inventum Tutani Dei nomen, quem Larum illorum unum fuisse coll. P. Varronis loco confido, qui in Ἡρακλεῖ ap. Non. p. 1315, 33 ed. Basil. sic gloriantem eum facit:

Tuam fidem [noctu] Annibalis cum fugavi exercitum
Tutanus, hoc Tutanus Romae nuncupor;
hacpropter omnes qui laborant, invocant.

Hostilios eos appellat Festus s. v. p. 78 Lindem.: Hostiliis Laribus immolabant, quod ab his hostes arceri putabant.

Similis fortasse Militarium (Orell. n. 1665) Salutarium (Orell. 1655) Victorum (1673) Larum ratio, de quibus certius quidquam compertum non habemus, nec utrum a populo constituti fani honore aucti an privatis impensis et sacris contenti fuerint, scire nos confitemur.

Cap. 14.

De Laribus praestitibus.

Hoc tamen publicis Laribus iis, de quibus hucusque egimus, omnibus commune, ut orti a Manium sepulcrorumque cultu, quae per Urbem et agros huc illuc dispersa veluti publici iuris facta sunt, deinde pro diversa natura et indole, cuius semina iam in domesticis Laribus coniuncta invenimus in diversa numina quodammodo di-

scinderentur, ita ut hae ipsae naturae Deorum modo adoptatae a Populo Romano templa publica et separatos cultus nanciscerentur. Atqui totum hoc quidem genus priore duarum quas ab initio posuimus, causarum contineri patet. Alteram vero, qua privatas religiones ita ad omnem civitatem relatas esse significavimus, ut Urbs una domus, populus una familia videretur, in Laribus certe multo maioris vel adeo maximi fuisse momenti, ex iis, quae iam expositurì sumus, apparebit.

Ut enim Lares domestici Dii generis et avorum divae animae credebantur, ut autem instar omnium familiae Larum unus maxime atavus domus Lar colebatur, cui κατ᾽ ἐξοχὴν eius nominis honor tributus (cf. Lib. I, c. 10.), sic omnis Populus Romanus Quirites non unum quidem instar omnium sed duos coluit, quoniam duplex gentis natura ex Pelasgica et Ausonia stirpe conflata geminos auctores sibi poposcit. Nam illud quidem de ancipiti Romani nominis natura inventum viri inter rerum scriptores, quos quidem nostra tempora viderunt, sine contentione principis et prope divini, veritatis vi et optimi cuiusque assensu tam vulgare factum est, ut testimoniis aliunde petitis supersedere nobis liceat. Duo igitur culti sunt Lares, praestites vocati. In quibus identidem remanserunt communis Larum significationis vestigia. Nam ut custos privati foci et aedium Lar familiaris, sic Praestites duo custodes Urbis et publici foci. Itaque Ovidius Fast. V, 134:

Causa tamen positi fuerat cognominis illis,
Quod praestant oculis omnia tuta suis.
Stant quoque pro nobis et praesunt moenibus Urbis
Et sunt praesentes, auxiliumque ferunt.
Et canis ante pedes, saxo fabricatus eodem
Stabat. Quae standi cum Lare causa fuit?
Servat uterque domum, domino quoque fidus uterque.

Neque tamen ideo Fast. II, 616 praepostera manu corrigendum:

Et vigilant nostra semper in aede Lares,

sed retinendum, quod codd. optimus quisque exhibet in

urbe. Nam hoc quidem, quod vigilant, utrisque Laribus commune, eo differunt, quod praestites omnem Urbem, privati singulas domus tuentur. Quod si Ovidius priore loco oblitus esse videatur, nimio studio, quo canis signum Laribus illis semper additum interpretari studeret, minus accurate utraque numina distinxisse, et fortasse praeterea utriusque generis naturas proprie simillimas significare eum voluisse putandum est. Nam Plutarchus quoque Quaest. Rom. LI. „Διὰ τί τῶν Λαρήτων, οὓς ἰδίως πραιστίτας καλοῦσι, τούτοις κύων προέστηκεν, αὐτοὶ δὲ κυνῶν διφθέραις ἀμπέχονται; ἢ πραιστίτης μὲν οἱ προεστῶτές εἰσι, τοὺς δὲ προεστῶτας οἴκου φυλακτικοὺς εἶναι προσήκει κ. τ. λ.

Quos Romuli et Remi divos genios fuisse qui dixerit, recte dicet. Nam per hos geminos fratres auctores Romani Populi duplicem gentis originem significari patet. Hi atavi gentis; horum post mortem Genii Lares regiae domestici, Urbis publici facti sunt; hi, ut privatim unus ille conditor gentis et fortasse ἐπώνυμος prae caeteris Lar familiaris dictus, sic ipsi Romae ἐπώνυμοι conditoresque prae caeteris publicis Lares praestites appellati. Quod clarius etiam elucescet, quum Larum templum in summa sacra via positum, revera olim antiquam Urbis regiam fuisse infra demonstraverimus. Nunc hoc dixisse satis est, iam veteres geminum primorum regum par affinitatis quodam vinculo cum Laribus coniunctum suspicatos esse. Huc enim pertinere credo Cassii Heminae verba, qui quamvis ad grammaticam artem et nominis explicationem subabsurde, non tamen sine aliqua veri divinatione, nec certe antiquitatis testimoniis destitutus apud Diomed. I, 379: „Pastorum, inquit, vulgus sine contentione consentiendo praefecerunt aequaliter imperio Remum et Romulum, ita ut de regno pares inter se essent. Monstrum fit: sus parit porcos triginta, cuius rei fanum fecerunt Laribus Grundilibus.“ Nam argutiarum grammaticarum studio, quin hic Lares Praestites cum Grundilibus, quibus publicum fanum exstructum fuisse aliunde non novimus,

confusi sint, ut nequaquam dubito, ita antiquae fabulae memoriam in ea re videre mihi videor, quod suis omen illud Albae Longae originibus famosum (cf. Prop. IV, 1, 35 ibique adnotata.) ad gemellos fratres et Urbis primordia relatum est. Nam multos fuisse, qui Romanae gentis originem non in Albam, cui cum Romae priscis temporibus nullum commercium fuisse Niebuhrius demonstrat (R. H. I, p. 389), referrent, sed qui Romulum et Remum Aeneae eiusque temporibus proximos, Urbemque statim post bellum Troianum conditam esse traderent, notum. Cf. enim Niebuhr. l. l. T. I, p. 218, n. 48. Unde Cassium inter eos scriptores fuisse iure aliquis coniecerit, qui teste Dionys. Hal. I, c. 74. regios fratres Aeneae filios esse traderent. —

Cap. 15.

De Larentinalibus, et de Acca Larentia.

Quo tamen hoc testimonium apertius, quod Larentinalia, quem diem cum Larum religione artissime coniunctum fuisse videbimus, in honorem Accae Larentiae instituta esse ferebantur. Cf. enim Varron. L. L. VI, 23. Mueller. Ovid. Fast. III, 55. Fest. s. v. p. 88. Lindem. Haec autem si auctores fide, quam caeteri sunt, digniores sequaris Romuli et Remi nutrix perhibebatur (Ovid. Fest. ll. ll. Liv. I, 4. Plutarch. Romul. 4. Dion. Hal. I, 84.) vel adeo, ut Sabinus Massurius, et Rutilius Geminus Pontificalibus libris (ap. Fulgent. s. v. arvales fratres, Gell. N. A. VI, 7.) et Macer primo historiarum (Macrob. Sat. I, c. 10.) scripserunt, Romuli ex adoptione m a t e r. Alteram autem narratiunculam de Larentia meretrice, quae cum bonorum suorum heredem P. R. instituisset, publicarum parentationum honore post mortem aucta sit, frigido illo et insulso veteres fabulas interpretandi studio natam esse apparet, quo Lupam Martialem optimam Romae nutricem ad vulgati scorti ignominiam transferrent. Quod commentum vulgi opinione semel receptum ansam dedit, ut proba mulier,

cui Romanus Populus vitam debet, cum nescio qua Tarutia s. Flora, meretricum tutelari Dea confunderetur. Quamquam veri vestigia etiamnum deprehenduntur, quum in Plutarchi narratione (l. l., repetita Q. R. 35), qui duarum Larentiarum inventione confusam fabulam extricare frustra conatur, et, quum Aprili mense in eius honorem libationes publice factas esse dicat, Larentalia, quae X Kal. Ian. fuisse constat, cum Floralibus a. d. IV Kal. Mai. celebratis miscens aperti erroris convincitur — tum manifestiora etiam in Lactantii l. l. Qui plane eandem fabulam, quam vulgo de Larentia ferebant, mutato nomine de Flora profert. Haec enim ille: „Meretricem fuisse aiunt, quae cum magnas opes corporis quaestu quaesivisset, populum romanum scripsit heredem, certamque pecuniam reliquit, cuius ex annuo fenore suus natalis dies celebraretur editione ludorum, qui appellarentur Floralia vel ludi florales."

Alium excogitavit A. Gellius conatum fabularum confusionis extricandae, neque, ut videtur antiquis auctoritatibus destitutus. Nam sedulo hic Accam Larentiam, meretricem, a Caia Tarratia discernere studet. Hanc probam feminam, Vestalem virginem — cui hic non in mentem veniat Reae Silviae? — fuisse, cui plurimi, dum vivebat, honores habiti essent, pro munificentia, qua Populum Romanum campo Tiberino sive Martio donasset. Quam narrationem A. Gellius iisdem fere verbis repetitam ex Plinii H. N. XXXIV, 11. hausisse videtur, qui satis eam antiquam esse Annalium (Pontificum?) auctoritate probat. Quomodo tamen illa cum vulgata, quae de Campi Martii origine ferebatur fabula (Liv. II, 5. Dionys. H. V, 19.) consociari debeat aut possit, ii viderint, qui Romuli, Augusti, nostra tempora eodem pede et modulo metiri conantur. — Unde fortasse explicandus, non corrigendus Varronis locus VI, 23. 24. Mueller: „Larentinal, quem diem quidem in scribendo Larentalia appellant, ab Acca Larentia nominatus; quoi sacerdotes nostri publice parentant festo die, qui ab eo dicitur, diem Tarentum Accas Ta-

rentinas. Hoc sacrificium fit in Velabro. caett." Tum enim haec verba: diem T. A. T. notitiae causa ab ipso Varrone in marginem coniecta fuerint, quibus, ne hic Accae Tarentinae s. Tarutinae dies cum illis L a r e n t i-n a l i b u s confunderentur, monitum vellet. Postea in ordinem a librariis recepta. Quod multis Reatini locis accidisse, Muellerus doctissime exposuit Praefat. p. VIII.

Cap. 16.

De Lara s. Larunda.

Quantum enim ex obstrepentium fabularum turbis nominum similitudine natis veri coniicere possumus, tantum est, ut Flora et Feronia eadem dea et quoniam florum laetus proventus sine terrae ope cogitari non potuerit, numen terrestre infernarum virium non expers fuerit. Itaque Flora et inferna Elysii nympha dicitur (Ovid. Fast. V, 198.) et Feroniam Graeci utrum Ἀνθηφόρον an Περσεφόνην interpretarentur, dubitarunt (Cf. Creuzer. de Symbol. II, p. 584. Mueller. de Etrusc. III, 3, 8.). Quoniam vero non solum florum terra submissorum, verum efflorescentium rerum omnium curam gerebat — cf. enim Lactant. I, 20. Ovid. Fast. V, 273: „Nos quoque idem facimus, tum cum iuvenilibus annis Luxuriant animi, corporaque ipsa virent" — eas mulieres, quae ex flore aetatis quaestum facerent, illius tutelae se dedisse consentaneum est. Itaque, dum matronae Iunoni Reginae dona in Aventinum ferunt, libertinae Feroniae Capenati pro facultatibus contulerunt. Liv. XXII, 1. Libertinarum deam esse generatim ait Varro ap. Serv. VIII, 564. Hinc primum et foedae narratiunculae de meretrice Herculis natae — meretricem enim Floram et Lactant. I, 20., de quo mox plura, et Arnob. III, 113., et Minuc. Felix. p. 2519. appellant — deinde vero quum inferna numinis natura cum Larum matre sive nutrice communis, tum Lupae nomen in contumeliam Accae Larentiae acceptum benignum confusionibus illis agrum praebuit. Cui explicationi hoc

etiam addere ausim — cui enim in rebus tam obscuris audere non liceat? — cultum in Latio Terracinae potissimum celebratum (cf. Dionys. Hal. II, 49. Serv. ad Virg. A. VII, 799. Horat. Sat. I, 5, 24.) occasionem dedisse inveniendi illud meretricis nomen, quod modo Tarratia (Gell. l. l.) modo Turacia (hoc enim certe latere videtur in nomine agri Turacis, cuius heredem P. R. institutum ab ea refert Macrob. I, 10.) modo Tarutia (Plut. l. l. August. C. D. VI, 7.) pronunciatum tandem in Tarentinam (Varro VI, 23.) abiit, unde ad Larentiam et Larentinalia expeditus erat aditus. Quamquam autem Romani postea, ut fieri solebat, tetricum numinis inferni cultum ab hilari Florae natura separaverunt, tantum tamen confusio ista valuit, ut festus Feroniae sive Florae dies Romae a remotissima inde antiquitate celebratus, quem Varro de L. L. 74. Muell. annales Pontificum sequutus ad T. Tatium et Sabinos auctores refert, oblivioni daretur, donec premente quondam annonae caritate ex oraculis Sibyllinis a. U. c. 514. ludi instituti (Plin. N. H. XVIII, 69. n. 3. coll. Foggin. ad Fast. Praenest. p. 68.), deinde per aliquod tempus intermissi L. Posthumio Albino, M. Pompilio Laenate coss. a. U. 580. instaurati sunt (Ovid. Fast. V, 329., coll. nummo ap. Eckhel. D. N. V. T. 5. p. 308: Florali[a] primus C. Servilius [f.]), iam vero, ut videtur, in meram laetitiam et lasciviam versi. Cf. enim Lactant. l. l. Arnob. c. Gent. l. l., VII, p. 328. Schol. Iuvenal. VI, 249. Valer. Max. II, 10. Gell. N. A. IX, 12. — Atqui, quoniam Accae Larentiae cum Larunda sive Lara non solum nominis similitudo sola formatione diversi — quo enim Lara Larundae quam Larentiae sit proprior, non video — verum etiam intimum cum Laribus, quorum Lara dicitur mater fuisse (vid. enim infra), commercium intercedat, quin utramque eandem, Lares autem Romulum et Remum, quatenus Romanae gentis auctores et post mortem tutores crederentur, fuisse dicamus, tantum abest, ut quidquam nos impediat, ut rei ratio ipsa cogat. Cuius rei hoc non levissimum argumentum, quod Larentina sacra, si Va-

lerio Antiati fidem habemus (ap. A. Gell. l. l.), flamen Quirinalis, si Plutarcho (l. l.), Martialis curabat. Utrumque enim alternis vicibus eo munere functum esse, verisimile; nam utriusque Dei, et Quirini et Martis religio artissime cum Larentiae cultu coniuncta. — Iam igitur habemus Romae auctores — Lares, etiam post mortem propitia non solum, ut domestici Lares privatae domus, sic regiae numina, verum totius civitatis et regni, quod vivi condiderant, conditum suo nutu et voluntate administraverant. Eadem mortuis, sed beatorum numero additis pietas manet, eadem vel augustior superstitum civium et Urbis cura. Huic hostes defendunt, huic pestem arcent, omnia salva et tuta praestant. Quod quo efficacius possent, simulque debitus ab omnibus honor frequentior iis haberetur, multiplicata per vicos deorum simulacra et sacella instituta sunt, quibus quotannis sacra fierent. Atque hi quidem sunt Lares illi compitales, haec sacra compitalia, quae primum a Servio Tullio instituta ferunt.

Cap. 17.

De Laribus compitalibus.

In compitis enim vicorum lignea sacella exstructa quotannis floribus ornari, liba a singulis domibus in sacrificium contribui, ferias celebrari iussit, eorumque sacrorum ministerium non civibus, sed — quemadmodum servos etiam privati lararii custodes vidimus cap. 5. — servis permisit. Haec Dionysius (IV, 14.) hactenus cum aliorum auctoritatibus consentiens. Quod autem addit: *ἣν ἔτι καθ' ἡμᾶς ἑορτὴν ἄγοντες Ῥωμαῖοι διετέλουν, ὀλίγαις ὕστερον ἡμέραις τῶν Κρονίων σεμνὴν ἐν ταῖς πάνυ καὶ πολυτελῆ, Κομπιτάλια προσαγορεύοντες κ. τ. λ.* in his nisi Compitalia cum Larentalibus confusa sunt — haec enim ut diximus X Kal. Ian. statim post Saturnalia celebrata — inconcinna certe est oratio. Nam non statis diebus celebratas sed conceptivas ferias fuisse, omnes Romani scriptores consentiunt. Quorum princeps philologiae pater, Reatinus: „C o m p i t a l i a, inquit, dies

attributus Laribus Compitalibus — Quotannis is dies concipitur." Cui assentitur Festus s. v. p. 48 Lindem. „Conceptivae feriae festa dicebantur, quae incertis diebus observabantur quotannis, ut Sementivae, Compitaliciae." Et Ausonius Eclog. de feriis Romm.:

„Et nunquam certis redeuntia festa diebus
Compita per vicos cum sua quisque colit."

Itaque apud Ciceronem ad Att. VII, 7. a. d. IV. Non. Ian., or. in Pison. 4. a. d. III Kal. Ian., et ad Attic. II, 3. incerto die, quamvis, ut videtur hoc ipso loco hieme („balineum calfieri iubebo") celebrata videmus. Quin immo formula praetoris, qui illas ferias concepit, a temporum iniuriis servatam legimus ap. A. Gell. N. A. X, 24: DIE. NONI. POPVLO. ROMANO. QVIRITBVS. COMPITALIA. ERVNT. QVANDO. CONCEPTA. FVERINT. NEFAS. — Repetita, quamvis non integra a Macrobio I, 5 fin.: Die Noni post. Kal. Ian. Quiritib. Compitalia erunt. Illud enim „post Kal. Ian." a Macrobio interpolatum; nam si ferias ipso mense Ian. indixit Praetor, nomen mensis addere ineptum erat. Quibus e locis sollemnia haec quamvis non stato die celebrata, tamen circa Ianuarium mensem indici solita esse apparet. Caeterum servis illius sacerdotii honorem tributum esse, Cato quoque testatur, qui R. R. V, 5. villico hanc legem scribit „rem divinam, nisi compitalibus in compito aut in foco ne faciat" unde etiam cultum eum in agros et rus migrasse apparet. Neque eum sub regibus aut reipurpublicae liberae temporibus mutatum esse, nisi forte quam Macrob. I, 7. profert, historiam potius quam fabulam credis, verisimile est. Instauravit eundem, nisi oblitum, neglectum tamen Augustus, qui Suetonio teste (Oct. 31.) „Compitales Lares ornari bis anno instituit, vernis floribus et aestivis." Stata igitur reddidit illa sacra, aut conceptivis stata addidit, et ni fallor iis alterum diem Kalendas Maias, ubi ara Larum ab eo restituta fuit, alterum Kalendas Augustas, in suum ipsius honorem, cuius genius tertium numen Laribus additum

est, festos esse voluit. Ita enim procul dubio accipiendus Ovid. Fast. V, 128 sq.

Praestitibus Maiae Laribus videre Kalendae
Aram constitui, signaque parva Deum.

et deinde ibid. 145, ubi hunc finem descriptioni compitaliorum addit:

Quo feror? Augustus mensis mihi carminis huius
Ius dabit.

Itaque, ut Kalendarium marmoris Venusini, (ap. Orell. p. 391.) Kal. Mai. has habet litteras: LVD. LAR. quas ludos larales s. larum interpretandas viri docti perspexerunt, sic in altero ap. Gruter. p. 133. litteras COMP., quae ad VI Non. leguntur, non modo Compitalitia explicare sed ad versum et diem superiorem hoc est ad ipsas Kal. Mai. referre non dubito.

Hos autem Lares, non ut reliquos varios variorum heroum genios, sed nihil nisi repetita praestitum Larum simulacra fuisse, imagines etiamnum ab interitu servatae docent. Semper enim duo Lares addito tertio numine Augusti conspiciuntur. Cf. Visconti Mus. P. Cl. t. IV, tab. 45. Picturr. Hercull. t. IV, tab. 13.

Itaque Ovidius, qui non modo Compitalium et Praestitum Larum sacra artissime coniungit, sed plane eadem et compitalium sacellorum honores ex ipsa praestitum religione derivatos esse significat. V, 128 Fastorum:

Praestitibus Maiae Laribus videre Kalendae
Aram constitui, signaque parva Deum
Voverat illa quidem Curius) sed multa vetustas*
Destruit, et saxo longa senecta nocet,

et v. 143:

Bina Gemellorum quaerebam signa Deorum
Viribus annosae facta caduca morae.
Mille Lares, Geniumque Ducis, qui tradidit illos,
Urbs habet.

---

*) Fortasse rectius, quod olim legebatur: „Ara erat illa quidem Curibus." Quamquam etiam Curius pro incola Curium accipi potest, ut idem sit, quod Quiris, itaque aut Romulus aut Numa,

Haec enim ipsa esse Larum praestitum repetita per vicos signa collatis versibus prioribus patet, carmenque hoc scriptum, priusquam Augustus eorum sacellum in summa Sacra Via restituisset. Hoc igitur ait, se quamvis signa propria et ingenua Larum Praestitum veterum, sacello vetustate collapso non invenisset, invenisse tamen eorum loco ad illud exemplar expressa mille simulacra per Urbem disposita. Nam ubiubi publicorum horum Larum mentio fit, gemini commemorantur. Sic Ovid. Fast. II, 615. de Lara, matre Larum:

Fitque gravis, geminosque parit, qui compita servant
Et vigilant nostra semper in Urbe Lares.

Ubi quam inepte vulgo nostra in aede repositum sit, nunc magis etiam apparet. Neque aliena nostrae sententiae Plinii auctoritas (N. H. XXXVI, 70.). Qui quum compitalium sacrorum originem ad Larem illum regiae familiarem, unde Ocrisia praegnans facta sit, referat, fabula hac proprie eos regiae domus Lares fuisse, qui quoniam reges seniores gentis, familia regia totius populi stirps et caput, domus publica domus haberetur, praestites civitatis facti essent, significari videtur.

Cap. 18.

De Genio Augusti publice culto.

Augustum autem veterum relligionum sedulum reparatorem propriae praestititum Deorum naturae, qua genii atavorum et conditorum Romanae gentis crederentur, non oblitum fuisse, illud prae caeteris docet, quod Augustalibus illis Laribus — sic enim vocantur — tertium, ut supra significavimus, numen additum invenitur Genius Augusti, qui Romanae rei restitutor et rector, alter Romulus et patronus Urbis haberetur. Ut igitur in focis privatis iuxta avorum Lares genius vivi domini, sic in publicis focis iuxta Romuli Remique Ge-

aut T. Tatius intelligendus, aut quicunque alius Oscam populi originem significat.

nios h. e. Lares Genius praesentis **patris patriae** cultus est. Unde illud Horatii Od. IV, 5, 34 sqq.

Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris, et Laribus tuum
Miscet numen.

et Minuc. Felix Octav. 29, 6.: Sic eius numen vocant, ad imagines supplicant, genium id est daemonem eius implorant. Repetitum autem cum Laribus Genii Augusti simulacrum per vicos cultum esse Ovidius testatur V, 145.:

Mille Lares, geniumque Ducis, qui tradidit illos,
Urbs habet, et Vici numina trina colunt.

Hinc in iis, quae supra commemoravimus, monumentis: Laribus Augustis et Genio Augusti sacrum. Adde Orell. n. 1667. ap. Donat. I, p. 42, 7. 43, 12., et sepulcralem inscriptionem Orell. 1661.: Magister Larum Augustor. et Genii Caesaris. Quae et ipsae **Augustalium** Larum nomen praebent. Repetita autem inscriptio ex Viscont. Mus. P. Cl. citata apud Muratorium 85, 6. Gudium 63, 4. Donat. 46, 8. Orell. n. 1659. Adde eiusd. n. 1658. 1660. 1662. Hos sponte intelligas, ubi in universum **Laribus et Genio** inscriptiones dedicatae inveniuntur, ut ap. Montefalc. A. A. expl. T. I, n. II, p. 322. Boissard. Ant. Rom. p. 137.

Dii Parentes s. **paterni** iidem dicti causa non obscura, si ea, quae de Laribus Praestitibus disputavimus, in animum revoces. Sic Orell. 1667.: „Genio Augusti et Laribus paternis“, et 1679.: „Diis Parentibus Augustis.“ Quod autem Ovidius mille Larum simulacra in Urbe fuisse scribit, hunc numerum non ad amussim exigendum esse, ut in poeta, patet. Tamen si Genio Augusti addito trina in singulis compitis signa computaveris, non ita distare rationem videbis ab eo numero, quem Plinius (N. H. III, 9.) compitis Larum tribuit, CCLXV. Aucta tamen postea esse videtur multitudo, si quidem, quem numerum Curiosum Urbis praebet CCCVII, propius etiam accedit ad Ovidii rationem, quamvis epilogi computatione repugnante. Nam Victoris et Rufi in talibus rebus nulla auctoritas.

Sacrorum cura, quamvis a servis tradita civibus, non tamen ingenuis sed libertinis commissa. Hi Augustales vocati. Nam Schol. Hor. Sat. II, 281: Iusserat Augustus in compitis Deos Penates (rectius Porphyrion: Lares, quamvis non leviore lapsu addat, i. e. domesticos Deos) constitui, ut studiosius colerentur; erant autem Libertini sacerdotes, qui Augustales dicuntur. Eosdem fuisse vicorum magistros Asconius testatur ad Cic. in Pison. c. 4.: Magistri vicorum faciebunt compitalitiis praetextati. Hinc optime Marinus in litteris ad abbatem Guattanium datis (repetitis ad calcem Tom. IV. Viscont. Mus. P. Cl.) hos Magistros esse in inscriptionibus, quae Laribus dedicatae essent commemoratos, colligit, qui Kal. Augustis primi magisterium inierunt. Sic in ea inscriptione, quam e Mus. P. Cl. protulimus. Add. Orell. 1654. et inscriptionem sepulcralem modo allatam ap. Orell. n. 1661. Nam revera vicorum magistros eodem die magisterium iniisse inscriptio docet Mercurio Augusto sacra. Doni I, n. 96. Murator. 103, 5. Iidem vocati Magistri Larum, inscript. Grut. 406, 4. 1070, 4. Murator. 1990, 5, et quam citat Marinus ex Novellis Florentinis anni 1775. p. 75. Ne tamen ne tunc quidem veteres Servii institutiones prorsus oblitteratae viderentur, ministri additi sunt magistris illis, neque eorum nomina in inscriptionibus omissa. Sic ap. Gruter. 107, 1. 189, 4. Fabretti C. I, n. 207. c. V, n. 99. Doni IV, n. 43. Gori Inscriptt. Etrusc. t. I, p. 199. Inscr. Alban. p. 20. Kal. Augustis hi ipsi munus inierunt, ut inscript. testatur ap. Donat. 46, 4: LARIBVS. AVG. MINISTRI. QVI. K AUG. PRIMI. INIERVNT., repetita ap. Orell. n. 1658. De utrisque autem et magistris Dio Cass. LV, 8, ita exponit, ut cum nostra ratione optime quadrare videatur: — *στενωποὶ ἐπιμελετῶν τινων ἐκ τοῦ δήμου, οὓς καὶ στενωπάρχους καλοῦμεν· καί σφισι καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ ἀρχικῇ* (praetexta cf. Ascon. I. l.) *καὶ ῥαβδούχοις δύο, ἐν αὐτοῖς τοῖς χωρίοις ὧν ἂν ἄρχωσιν ἡμέραις τισὶ χρῆσθαι ἐδόθη ἥ τε δουλεία ἡ τοῖς ἀγορανόμοις τῶν ἐμπεπραμένων ἕνεκα συνοῦσα*

ἀποστροφή. — Quibus argumentis si addideris, quod Ovid. V, 146. vici numina eos appellat Lares, quorum cultus secundum domesticos Augusti restitutione vulgatissimus factus est, mirum esse non potest, si Arnobius Larum naturam explicaturus (c. Gent. III, 124.): Lares, inquit, arbitratur vulgus vicorum atque itineris deos esse.

Cap. 19.

De Laribus civitatum.

Dissipati enim etiam per Italiam et provinciarum colonias et municipia, quae communicata cum Romano Populo civitate eiusdem gentis et eiusdem stirpis veluti quadam adoptione facta fingerentur. Itaque Velitris (Orell. 1654.), Tiburi (ibid. 1655. et 1662.), Venusiae (1660), vel adeo in Hispania (ibid. 1669. 1663.), Moguntiaci (ibid. 1664.), in Lusitania Laribus Tarbucenbacis (n. 1671.). Ac recte hi quidem Lares civitatis appellati, ut in inscriptione Puteolana ap. Gruter. 10, 2. Orell. 1670; I. O. M. ET. LARIBVS. PVT. CIV. h. e. Puteolanae civitatis. Tantumque abest, ut obliti sint propriae et verae horum Deorum notitiae, quos communes generis avos esse vidimus, ut inscriptiones civitatis datae causa, quacum gentilitas et sacrorum communio semper coniunctae erant, Laribus civitatis ex voto dedicatas inveniamus, ut ap. Orell. 1663, quam Saxius (Miscell. II, p. 252.) sic ingeniose restituit:

Diis Laribus gentilitatis ob honorem, quod civis recepta est Caperae Cocceia C. filia Severa.

Cap. 20.

Augustus, persona publica.

Quoniam vero sacra compitalitia usque adeo certe cum privata Larum veneratione coniungebantur, ut diebus illorum festis utrisque Laribus fieret (Cato enim R. R. I. Compitalibus villico in compitis aut in foco sacra facere permittit); Augusti Genius fortasse etiam

in privata Lararia translatus et cum familiaribus Diis cultus est. Neque tamen hoc pro certo affirmare ausim, nec eo temere referrem, Virg. Ecl. I, 43:

Hic illum vidi iuvenem Meliboee, quotannis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant —

nisi aperta duodecim kalendarum commemoratio, quos dies familiarium Larum cultui prae caeteris destinatos fuisse vidimus, in nonnullis certe domibus, quae forte ut Tityri, Augusto restitutionem et salutem deberent iam tum eam religionem introductam esse demonstrare videretur. Nam diversa horum temporum ratio et abusus sub Caesarum sequentium imperio sensim cum morum corruptione gliscens, de quo alio loco dicendum erit. Verum utut est, hoc certum, Augustum ex quo reipublicae Romanae principatum tenuisset, nunquam in angustos privatae vitae et domus fines recessisse, sed publicum fuisse et habitum esse. Qua re Ovidius Fast. IV, 4, 15:

Nec prohibere potest (in nostro carmine legi) *quia*
res est publica Caesar.

et ex Ponto I, 1, 18:

Gaudia Caesareae mentis pro parte virili
Sunt mea: privati nil habet illa domus.

Et, si quaeris revera Palatium publica domus fuit, atrium Deorum immortalium templum, et altera Vestae sedes (cf. infr. Lib. II, 8.). Hoc laurus ante ianuam divini luci instar virentes, hoc querna corona postibus suspensa (cf. Ovid. Fast. IV, s. fin.) hoc fastigium (cf. Cic. Phil. II, 43, ibiq. interpp.) indicat. Quibus omnibus perpensis numinis illius cultum non tam vili adulatione natum, qualem qui nostra saecula intuentes omniaque eadem menura metientes huius aetatis normam male seduli antiquis temporibus impingere velint, apud mentem sibi fingant, apparebit. Etenim non ipse Octavianus, sed numinis coelestis quodammodo particula, quae in servanda et restituenda republica tam pulchre emicuisset, ut Urbis et orbis oculis admirantibus divinitus

immissa videretur, Genius Augustus, quem non abiecta adulatione servi sub iugum missi sed liberi cives continuis intestinorum bellorum turbis ad taedium usque defessi ut pacatorem mundi ex animi sententia diligebant et pie colebant, hic autem Genius ille erat, cui altaria fumarent, qui praesens divus haberetur, qui compositis armis inter antiquitatis heroes egregie factis et ipse coelum meritus et futurae immortalitatis certus recumbens purpureo ore nectar bibere videretur. —

Cap. 21.

De communi Larum natura etiam in compitalibus conspicua.

Haec hactenus. Restat, ut etiam in his publicis tam praestitibus quam qui per urbem eorum vicibus fungerentur, compitalibus Laribus communis cum domesticis originis vestigia semper remansisse demonstremus. Utrosque enim mortuorum genios diximus. Qua in re ut ea testimonia, quae coniunctim Lares mortuorum pios animos fuisse asseverant, etiam in publicis valere necesse est, ita is antiquarum religionum usus, quo deum aliquem pro diversis, quibus praecelleret, facultatibus et viribus in diversa numina disiunctum et separatis sacris cultum esse vidimus, iam in privatis caerimoniis funebrem ritum cultumque Manium a Larum religione tali modo seiunxit, ut in illis defunctorum animas mortisque imaginem expiationibus praecipue celebrarent, his tutelam gentis propriam attribuerent, generisque deos haberent, illis in sepulcris parentarent, his in aedibus laeta sacra facerent. (Cf. I, 4.)

Nec tamen rei antiquitus eiusdem memoriam in disparatis cultibus prorsus oblitterari voluerunt. Itaque et Feralibus Charistia adiuncta, et post ipsa funera Lari familiari sacra facta, et sepulcrorum communio quaedam inter familias et gentes observata. Quodsi in Larum publicorum cultu inferiora saecula longius etiam ab usu vetustissimo et propria numinis notione recessisse

videmus, non illud quidem mirum. Nam in permarinis, in agrestibus, in compitalibus iam eius naturae, quae generis originem et communis inter omnes cives sanguinis pignus continerent, tenuia et subobscura vestigia. Qui quum omnes in tutelaria quaedam urbis agrive numina, caeterum indefinita et vaga notione transiisse videantur, mortis et Manium naturae olim cognatae ne levissimum quidem in iis simulacrum inesse coniicias. Quod longe aliter evenit et religiones semel humanis pectoribus altius insidentes non tam facile revelli docet. — Primum enim ea Dea, cuius omnis cultus cum Feralibus arte coniunctus magicus et funestus, quae tota ad Manes pertinet, „infernae Nympha paludis" (Ov. Fast. II, 610) eademque Dea Muta et Tacita et Mania vocatur, a Mercurio piae turbae duce compressa, ut ille ait (Fast. l. l. 615.):

Fitque gravis, geminosque parit, qui compita servant
Et vigilant nostra semper in Urbe Lares.

Haec est, quae etiam Lara et Larunda audit, et cane immolato placatur, bestiola Laribus imprimis grata. Cf. Plutarch. Q. R. 52. Lactant. I, 20. Arnob. III, p. 124. Varro L. L. IX, 61. Mueller. Cuius religio quamvis nequaquam ab inferis secerni possit, tamen eadem et semper Larum praestitum mater habita est, et quum Genitalis vocetur (*Μάνη Γενείτη* Plut. l. l.), tamquam genitrix Romanae gentis, quatenus haec originem a Romulo et Remo repetat, significari videtur. Unde simul ne in praestitibus quidem Laribus funebris, ut ita dicam, naturae Romanos oblitos esse apparet. Atque in ipsos hos tamquam Manium summos, Feraliorum die honorem aliquem ex cultu Mutae matris redundasse, nec communi mortuorum parentatione solos vacuos abiise, veri simile est. Neque vero hic dies omnibus Manibus et Laribus coniunctim festus iis numinibus satis esse potuit, quae publice a reliquis sui generis seiuncta singularibus sacris mactarentur.

Cap. 22.

De diebus festis in Larum publicorum honorem institutis, et de Dea Mania.

His igitur sub finem anni proprii dies constituti, Laribus Permarinis XI. Kal. Ian. Nam recte Fogginus in factis Praenestinis XI. Kal. Ian. restituit ex verborum fragmentis.... RINIS. IN PORT. L a r i b u s P e r m a r i n i s i n P o r t i b u s. Nam ex Macrobio constat hunc diem sacrum fuisse iis Laribus, quibus a M. Aemilio aedes in Campo dedicata fuerit. Hi autem, Livio teste (XL, 52.) permarini sunt. Praeterea neque Larentinorum diem X Kal. Ian. alienum fuisse a Larum cultu et nomen et ordo Fastorum Romanorum indicat, Larum festo pridie, compitalitiis sacris circa idem tempus celebratis. Nam de confusione ea, qua Larentia meretrix vulgo habita cum Tarutia et Flora commutata sit, supra diximus. Fuisse autem haec ipsa sollemnia parentalia vulgo consentiunt (sic Varro L. L. VI, 23. Plut. l. l. Verr. Flacc. in Fastis Praenestt.), et Plutarch. affirmat Q. R. 34: ἢ τοῦτο μόνον Βροῦτον ἐναγίζειν ἐν τῷ μηνὶ τούτῳ καθ' ὅλον ψεῦδός ἐστι· καὶ γὰρ τῇ Λαρεντίᾳ ποιοῦσι τὸν ἐναγισμὸν καὶ χοὰς ἐπιφέρουσιν ἐπὶ τὸν τάφον τοῦ Δεκεμβρίου μηνός. Qui quum simul doceat, Dec. Brutum hoc tempus iccirco publicis et privatis parentationibus destinatum credidisse, quoniam mutato veteris anni ordine December mensis ultimus factus esset, colligi videtur, ut olim publici a privatis Manium sacris, Feralia a Larentalibus non discreta fuerint; aucta vero republica, quum communis sacrorum cura sacerdotibus publicis commissa a familiarum et gentium cultibus separaretur, etiam diversis diebus ea assignare placuerit (Cf. I, 2.). Itaque in Fastis Praenestinis voci p a r e n t a r i diserte additur e t p u b l i c e. Videntur enim Feraliorum sollemnia nulla alia re ab iis sacris distare, quae Decembri facta sunt, quam quod in illis, quae per singulas domus privatis usibus et sumtibus celebrabantur, Manium et defunctarum animarum praecipuus

cultus, Maniae et Larum publicorum hac sola de causa ratio habita fuerit, quod ad hos communia referri crederentur singularum gentium principia ideoque ipsi quoque familiarium Larum numero quodam modo contineri viderentur, simul autem quod Dea Mania vulgi superstitione instar omnium Manium praeses et inferorum quasi quaedam regina haberetur. Contra Decembri mense et sub Saturnaliorum tempus non Manium praecipua ratio, sed Laribus publicis ut Romanae gentis auctoribus eodemque modo Larentiae fiebat. Per hanc enim mulierem originem Romanorum patriam et vere Italicam significatam esse credo, priusquam Graecorum variis fabulis admixtis externum genus ex Phrygia et Troade repeteretur. Qua re ipso hoc die Iovi Deorum summo omniumque rerum auctori feriae factae. Cf. Fast. Praenest. . . . IAE. IOVI. et Macrob. Sat. I, 10, qui hunc scrupulum Platonico quodam philosophemate tollere conatur, quia scilicet existimaverint antiqui, animas a Iove dari et rursus post mortem eidem reddi. Ut autem in domibus privatis postquam inferiae latae et iusta omnia rite soluta sunt, tum demum locus religiosus habitus, i. e. Genius mortui, qui proprie inferis debebatur, expiationibus et libationibus factis huic luci et coelo vindicatus et Lar tutelaris factus est (cf. I, 5.), ut deinde idem usus in Feralibus quotannis repetitus, neque in Ruralibus Laribus omissus est (cf. c. 3.), sic etiam eas caerimonias, quibus auctores Romanae gentis Larentia et Lares praestites ut tutelaria Urbis numina colerentur, parentationibus carere non potuisse colligitur. Quas in Larentalibus publice institutas esse vidimus.

Cap. 23.

De expiationibus Manium publice institutis.

Neque vero in ipsis Compitalitiis huius rei notitia plane oblitterata est. Nam ne de floreis sertis et corollis dicam, quas communem sepulcrorum et Manium atque Larum tam privatorum quam publicorum honorem

Plinius memorat — et iam tunc coronae deorum honos erant et Larium publicorum privatorumque ac sepulcrorum et Manium — luce clarius hoc ritus quidam demonstrat, quem Macrobius Sat. I, 7. sic describit: „Qualem nunc permutationem sacrificii memorasti, invenio postea Compitalibus celebratam, cum ludi per urbem in compitis agitabantur, restituti scilicet a Tarquinio Superbo Laribus ac Maniae ex responso Appollinis, quo praeceptum est, ut pro capitibus supplicaretur. Idque aliquamdiu observatum, ut pro familiarum sospitate pueri mactarentur Maniae Deae matri Larium. Quod sacrificii genus Iunius Brutus Tarquinio pulso aliter constituit celebrandum. Nam capitibus allii et papaveris supplicari iussit: — factumque est, ut effigies Maniae suspensae pro singulorum foribus, periculum siquid immineret familiis expiarent: ludosque ipsos ex viis compitorum in quibus agitabantur, Compitalia appellitaverunt.“ Nam quod capitibus solum supplicari fas fuisse ait, quis hoc ad antiquam piaculorum superstitionem referre dubitaverit, qua pro damnatis hominum capitibus victimarum capita substitui posse existimarentur. Quid enim? Si singula hominum capita singulis aliorum capitibus expianda erant — hoc enim voluisse sacrorum istorum interpretes, et hic ipse locus, et Festus s. v. Pilae, quem infra citabimus, declarat — unde hominum multitudo suppeteret, quorum semper numerus superstitibus par immolatus, mox omnem Romanum Populum consumturus erat. Quo absurdius quidqnam fingi posse negamus. Nam quominus captivorum aut servorum caedibus perpetuis cives ab inferorum potestate vindicatos esse quis obiiciat: ipsi servi simili plane modo expiati sunt. Imagunculae igitur Deae Maniae h. e. apud inferos potenti dicis causa suspensae, ut per has funesto numini satis fieret, animae autem mortuorum inferno iuri proprie addictae hoc interposito piaculo sursum remitterentur. Quod quoniam imprimis Compitalibus sacris factum animadvertimus, Lares praestites et Compitales ipsi, quorum in honorem hi ludi celebrati,

ut Manes hominum crediti fuerint, necessario efficitur. Quod vero olim re vera homines mactatos esse pro hominum superstitum salute vulgo narratum est, nemo nunc, credo, populum Romanum unquam tum immanem et crudum fuisse existimabit, nec quidquam aliud his fabulis significari, quam inferis debita-nectamen immolata, sed solo naturae non exorato iure Deorumque voluntate debita-hominum capita effigierum substitutione illis legibus soluta esse animamque nova eaque coelestia saecula ordiri. Haec enim sine dubio inter illa sacra erant, quibus animae humanae in Deos verterentur a Labeone descripta. Cf. Serv. ad Virg. Aen. et Arnob. l. citatos supra I, c. 1. Quod clarius etiam apparebit collato, quem infra allaturi sumus locum Festi s. v. L a n e a e p. 91 Lindem.

Cap. 24.

De Argeis.

Optime autem sic componuntur diversae illae, quae de Argeis ferebantur fabulae, quarum aliis si fidem habemus, heroes Herculis comites fuerunt, quibus per XXVII partes urbis i i s l o c i s, ubi s e p u l t i e s s e n t, sacraria disposita sunt, secundum alias sic nominabantur scirpeae imagines XXX. a Pontifice et Virginibus publice de ponte Sublicio deiectae. Hanc caerimoniam ab Hercule institutam esse, ut diis inferis pro Sexagenariorum capitibus satis fieret, qui quondam de ponte iaci barbaro sacro soliti essent. Haec enim Varro LL. V, 45: „Reliqua Urbis loca olim discreta, quum Argeorum sacraria in septem et XX partis Urbis sunt disposita. A r g e o s dictos putant a principibus, qui cum Hercule Argivo venere Romam et in Saturnia subsederunt.“ Ipsa sacella vulgata dicendi figura Livius I, 21. Argeos intelligit, sacrorum origine ad Numam relata: „Multa alia sacrificia l o c a q u e sacris faciendis, quae A r g e o s pontifices vocant, Numa dedicavit.“ Quae tamen A r g e a a Festo appellantur, in excerptt. Paul. Diac. p. 17. Lind: Argea loca Romae appellantur, quod in his sepulti es-

sent Argivorum quidam illustres viri. Ab altera parte stant et ii auctores, quos Festus sequutus est p. 14. Lindem., ubi haec habet: „Argeos vocabant scirpeas effigies, quae per virgines Vestales annis singulis iaciebantur in Tiberim.“ et Ovid. Fast. V, 523 sq. qui accuratius rem enarrat et Dionys. Hal. I, 38. qui XXX effigies enumerat, unde Aldus in Varron. VII, 4, 4. Müll. eundem numerum restituit. Codd. enim manu exarati sic habent: „Argei ab Argis; Argei fiunt e scirpeis, simulacra hominum XXXIIII. (cod. a. ap. Müller. Reg. Par. habet XXXIII): ea quotannis de ponte Sublicio a sacerdotibus publice deiici solent in Tiberim.“ Festus s. v. sexagenarios p. 259 Lindem., ubi varii nominis explicandi conatus referuntur, quos hic repetere longum est. Add. eundem in excerptis s. v. Depontani p. 57. Lindem. Plutarchus, Q. R. c. 32. absurdiora etiam commentus, dum Argivorum nomen, et ritum, qui infestus videretur Argivis consociare studet, Macrob. Sat. I. c. 7. qui ipse haec sacra compitalitiis comparat, usumque cereos in Saturnalibus missitandi eodem refert, Lactant. Inst. I, 21. Arnob. adv. Gent. II, 91.

Vulgatam autem ritus subobscuri explicationem, quam supra attigimus e male intellecto proverbio natam esse, qua sexagenariis publicorum munerum vacationem dari significaretur, et pontem non Tiberis sed comitiorum ponticulum intelligendum esse, notissimum. Cf. enim Fest. l. l. p. 239 Lindem. Varro de Vita P. R. II, ap. Non. p. 523. Mercer. Cic. pro Sext. Roscio c. 35. Plutarch. Q. R. l. l. Macrob. Saturn. I, 5. Wagneri dissertatio: Quaeritur, quid sit: Sexagenarium de ponte. Lunaeburg. 1831. Quem libellum citat Lindem. ad Fest. l. l. p. 705. Contra veram esse, quam de sacrorum illorum natura supra tulimus (c. l.) sententiam, sola paene comparatione caerimoniarum, quibus ad expiandos Manes in Compitalibus uterentur evinci possit. Pro singulis enim heroum capitibus singulae, quae eos referrent, imagunculae diis inferis concessae. Ne autem numerus imaginum XXX cum Varronis XXVII sacellis pugnare vi-

deatur, hic ipse numerus qui in Romanae gentis antiquis divisionibus sine exemplo est, quum alter ubique fere recurrat, sagacem affirmat Bunsenii coniecturam, qui (Descript. Urbis Romae T. I, p. 149.) tria sacella a Varrone omissa in vetere Capitolio sive Quirinali fuisse suspicatur. Nam numerus XXIV imaginum, quem contra Aldi emendationem C. O. Müller ap. Varronem L. L. VII, 44 tuetur, cum ipsius Varronis XXVII sacellis non quadraret. Fortasse tamen hic locus efficaciorem etiam medicinam desiderat. Hoc certum, et effigies et sacella ad Herculem auctorem referri, et Argeorum nominibus non casu fortuito iisdem eosdem heroes atque imagunculas significari. Ovidius testis est, qui l. l. antiquae religionis causas lepide more suo et argute explicare studet v. 636—660. Caeterum gentilitium heroum eorum cultum fuisse eo etiam monemur, quod Liberalibus, hoc est, quo die juvenes toga sumta novi cives gentilitiorum simul honorum participes fierent, publice placabantur. Cf. Ovid. Fast. III, 791. Nec a funebrium sacrorum ratione hoc abhorrere credo, quod Flaminem Dialem nisi incomptis et impexis capillis tamquam lugentem ad Argeos accedere nefas habitum est. Cf. enim Masurium Sabinum ap. Gell. X, 5. Maiorem autem excusationem erroris hinc habent quod Tuscorum disciplina, quae in expiandis inferorum numinibus tremendorumque Acherontis deorum ira avertenda cummaxime versabatur (cf. enim Müller. de Etruscis III, 4, 14.) Romani superstitiosi omnium Deorum cultores aegre carere poterant (Müll. ibid. III, 1, 4.). Nam quandocunque difficilior prodigii quaestio nata est, haruspices ex Etruria, cui genti accuratiorem rerum divinarum cognitionem cultumque perfectiorem quam ipsis esse credebant (Liv. V, 1.), acciti sunt. (Müll. l. l. III, 1, 1. passim.) Ab his praecipue Romanae mentes terroribus percitae inferorum formidinem imbibisse, laetamque aeriorum numinum naturam Orci tristitia permutasse videntur. Unde Müllerus (l. l. III, 4, 10.) ipsam Manium Deorum originem Tuscis vindicare voluit, quam tamen, ut ipsum nomen,

vere Romanam, et cum initiis populi artissime coniunctam fuisse vidimus (cap. 2.). Accedit, ut quae in omnibus sanae et incorruptae mentis populis invenitur fides, qua bene aut male vita meritos post mortem praemia aut poenae manere, locique damnatorum et beatorum secreti esse creduntur, a Romanis aliena esse non potuerit. Hinc Lemurum et Larvarum naturae inventae. Cf. Augustin. IX, 11. Appul. de D. S. p. 50 Elm. Mart. Cap. 2, p. 46.

Horum cultum magicum et funestum quamquam nec privatam singularum familiarum nec publicam sanctionem nancisci potuisse animadvertimus (Lib. I, c. 4.), factum tamen est, quod eodem modo evenisse in Christianis superstitionibus notum, ut ipsi inferi, quondam hominum animae, Diti subditi haberentur, qui, ut maxime malis facinoribus et crudelitate, dum vita manebat, gavisi essent, sic post mortem invidiosi rerum humanarum vexare viventes, morientium animis insidiari, a damnatis poenas exigere crederentur. His igitur animae omnes addictae, priusquam certis sacris et caerimoniis redemtae essent: superstes familia funesta, neque locus sepulcri religiosus habitus est (cap. 4. fin.). Tametsi autem illa sacra, ne effectu destitui viderentur, publica fides valuit, tamen, ut fit, in animis vulgi formido fidem fere vicit, et manes omnes et impii infernis legibus adstricti Lemures et Larvae habiti sunt.

Cap. 25.

De Larum religione alienis superstitionibus sensim depravata.

Ut tamen ad Compitalia redeamus: consentientem utique Macrobius Festum habet, qui (p. 91 Lind.) s. v. Laneae, inquit, effigies Compitalibus nocte dabantur in compita, quod Lares, quorum is erat dies festus, animae putabantur esse deorum. Idem tamen quum alibi s. v. Pilae (p. 128 Lind.) dicat: „Pilae et effigies viriles ex lana Compitalibus suspendebantur in compitis, quod hunc diem festum esse Deorum, quos vocant La-

res, putarent, quibus tot pilae, quot capita servorum, tot effigies, quot essent liberi, ponebantur, ut vivis parcerent et essent his pilis et simulacris contenti" — definitio haec ipsa Larum in Lamias potius et Lemures, quales funesta obscurorum saeculorum superstitio finxit, quam in tutelarium horum Deorum naturam quadrat. Quo etiam magis veri Festi librum hic tam foede dilaceratum esse doleas, ut quid in excerptis Verrii Flacci, quid S. Pompeii, quid denique hallucinantis P. Diaconi sit, nullo modo discernere possis. Nam prior locus ut veriorem Larum definitionem, sic probabiliorem ritus illius explicationem continuisse videatur. Hoc tamen non iniuria aliquis inde concludat, sacra, quae initio pro Laribus h. e. pro ipsis Manibus facta essent, prompta quadam nec nostris temporibus aliena confusione ita accepta esse, quasi non anniversaria parentatione in honorem et memoriam mortuorum repetita pro horum animis, sed tamquam iam inferna numina ipsi facti essent, ad eorum iram averruncandam et pro viventium salute instituerentur. Quod in iis numinibus, quae proprie heroum modo iuxta sepulcra per lucos et agros culta Rurales Lares facti sunt, supra observavimus. Nam hi quoque simul cum Larunda a fratribus arvalibus placati et cum Manibus iidem habiti sunt. Cf. c. 13. Cui rei eximie favisse existimo Graecorum superstitiones quae sensim Romanam religionem occupantes et hederae luxuriantis instar antiquam stirpem densis sarmentis quodammodo obrepentes, veram solidi roboris formam oculis subtraherent. Hi enim, ut notum, Manes non aërios Deos, et benevolos superstitum tutores sed pallidos et inanes Stygiorum regnorum incolas, vânaque hominum terriculamenta crediderunt. Itaque, quod in Dea Muta manifestum est, etiam Lares Dii illi quidem — hoc enim honore eos privari antiqua et penitus Romanis insita religio vetuit — sed inferi Dii facti sunt, avidi humani sanguinis et vitae, qui, nisi immolatis ipsis liberis et servis placandi, at pilis et imagunculis fallendi essent. Verae autem eius, quam diximus condi-

tionis vestigia manifesta per medias confusarum fabularum tenebras in nomine imagunculorum illarum deprehendi licet, quae quamvis ad avertendam infernorum numinum vim, hominum, qui expiandi essent, faciem imitantes aut certe eorum vicibus fungentes fictae et suspensae essent, ipsae tamen Maniae appellabantur, unde Maniam proprie omnium Manium matrem et aviam habitam communem piarum animarum naturam significare, id quod aliis argumentis iam supra demonstravimus, clarius etiam elucescit. Neque postea hae ipsae imagunculae aliud quam quod Dea Mania ante eas passae sunt. Eadem enim, quae infernis Diis pro capitibus piacula fiebant, quoniam semel Maniae nomen ab inferis separare desueverant, ipsae inferorum numina humano generi noxia et infesta haberi coepta sunt, quibus nutrices infantibus minitarentur. Hoc Aelius Stilo testatur ap. Fest. p. 167. Lindem. Manias Aelius Stilo dicit ficta quae (lege: quaedam nisi est pro aliqua) ex farina in hominum figuras, quia turpes fiant, quas alii maniolas appellent. Manias autem, quas nutrices minitentur parvulis pueris, esse larvas, id est manes deos deasque, qui (leg: quia) aut ab inferis ad superos manant, aut Mania est eorum avia materna: sunt enim utriusque rei auctores. Quocum consentit Gloss. Isidor., quod Manias „formidinum imagines" interpretatur et Martianus Capella, qui ut hanc superstitionem cum Manium et Larum vera religione consociet, depravatos tantummodo Manes Manias appellatos esse refert. Cap. 2. p. 40.

Cap. 26.

De salubri olim Deae Maniae numine.

Nec tamen vel in funesto illo nomine antiqua religio qua non grave et pestiferum viventibus sed salutare et familiis propitium numen Mania crederetur, prorsus evanuit. Nam ea quoque numina, quae infantibus primum natis adesse, et piam tenerae aetatis nutriendae et fovendae curam administrare credebantur Maniae dictae. Inter quas Cuninam et Ruminam Varro recen-

set ap. August. Civ. D. IV, 8 et 11. Non. 2,756, ubi ex eius Catone s. de liberis educandis libro: „Hisce Maniis (vulgo: manibus) lacte fit non vino, Cuninae propter cunas, Ruminae propter rumam, i. e. prisco vocabulo mammam.“ Iterum autem haec Mania Rumina eadem quae Acca Larentia, regiorum fratrum nutrix, cui apud ficum Ruminalem lacte fiebat. Nam Varro de R. R. II, 11, 5: „Non negarim inquam ideo apud divae Rumiae“ (f. Ruminae aut Rumia altera eiusdem nominis forma habenda) „a pastoribus satam ficum. Ibi enim solent sacrificare lacte, non vino, et pro lactentibus.“

Cap. 27.

De Compitaliorum cum privatis Larum sacris communione.

Atque hae quidem, de quibus modo diximus, funestae Compitalitiorum sacrorum caerimoniae eodem modo, quo in Feralibus privatarum proprie domuum parentationibus destinatis Larum publicorum prorsus oblivisci non potuerunt, sic neque publicis his sacris privatum cultum remotum fuisse abunde demonstrant. A quibus enim nisi a privatis pro singulis servis et liberis singulae pilae et effigies in foribus ponerentur? — Accedunt tamen aperta veterum immerito suspecta testimonia. Nam Charisius I, p. 20. extr. — Compitalia, id est, ubi eos, qui peregre moriuntur, colunt Parentarium dicitur. Quocum facit Glossar. Philox. Compitalia, *θεῶν ἀγυιαίων ἑορταὶ αἱ γινόμεναι ἐν ταῖς τριόδοις ὑπὸ τῶν προσηκόντων*. Tantum enim abest, ut Charisii locum cum vulgo interpretum corruptum putem, ut quum peregre mortuis apud tumulum communi Feraliorum die fieri non posset — nisi forte, quod a paucis iisque Graeco more imbutis factum reor, cenotaphium veri sepulcri simulacrum exstruxerant — his inter praestites Lares, qui instar omnium per totam civitatem colerentur, simul inferias latas, verisimillimum esse mihi videatur.

Cap. 28

De natura Manium etiam in Laribus conspicua.

Quo tamen multo hoc admirabilius, quod ne in Permarinis quidem Laribus, quamvis hi meri classium et navium tutelares Dii facti esse videantur, veteris naturae memoria prorsus evanuit. Quod contra accidisse non modò Fastorum Romanorum ordo, ex quo pridie Larentalia sacra iis habita esse scimus, indicat, sed Varro poeta disertis paene verbis docet Sesquiulixe (Non. v. Strophium p. 538. Merc. iterumque voce Reticulum), ubi haec: „Suspendit Laribus marinis molles pilas reticula et strophia." Nam ritum hic ad inferias pertinentem, similem eius atque tantum non eundem, quem in Macrobio et Festo l. l. legimus significari, apertum est. —

De

Diis Romanorum patriis Liber II.

De Diis Penatibus.

Cap. I.

De origine nominis Penatium, et de significatione vocis penus.

Deos penates a penu dictos certum est. Formatum enim illud verbum eodem modo a penu, quo optimates ab optimo, primates a primo, Antiates ab Antio. Cf. Fest. s. v. Penatis, p. 216. Lindem. Nec repugnat M. Tullius, qui De N. D. II, 27: „Nec longe," inquit, „absunt ab hac vi" (Vestae) „dii Penates sive a penu ducto nomine (est enim omne, quo vescuntur homines, penus) sive ab eo, quod penitus insident: ex quo etiam penetrales a poetis vocantur." Quamquam ille id voluisse videtur, ut naturam potius deorum, quae in iis coleretur, quam locum, ubi colerentur, nominis origine significaret. Itaque penitus insidentes ait penetrantes intime humanum pectus, eamque significationem vocis, pro qua alias penetrabilis dicitur apud poetas, intelligit. Quocum facit Macrobius Saturn. III, 4, veteres sane auctores secutus, qui haec habet: „Penates esse dixerunt, per quos penitus spiramus," et Serv. ad V. A. II, 296: „Nonnulli tamen penates esse dixerunt, per quos spiramus et corpus habemus." Nec penum Cicero alium intelligi vult, quam auram vitalem, qua homo spiritu ducto potissimum vescatur. Nam in penum, eam domus

partem, quae proprie sic dicebatur, cellulam, in qua frumentum, aliusque victus usui quotidiano destinatus condebatur, vel acervum ipsum hic exstructum — hanc enim significationem vulgatissimam fuisse et Cic. l. l. et A. Gell. N. A. IV, 1. et Fest. s. v. „Penora" p. 116. Lindem. testantur — dicta haec esse nemo, qui sobrius sit, accipiat. Hic enim Deos penates unquam cultos fuisse nec consentaneum est, nec auditum. Nobis igitur, qui a loco dictos Deos existimamus, generatim magis definienda vox eo significatu, qui in penitus, penetralis superat, ut media et intima domus pars sit, quae cum in privatis aedibus (aliter atque in Vestae templo) penus dici desiisset, tamen penetralia ducta certe ab ipso penu voce semper appellabatur. Idem autem proprie utrumque esse docet interp. Lion. ad. Virg. A. III, 12: „nam et ipsum penetral penus dicitur." — Itaque Isidorus lib. VIII. extr. „Penates," ait, „quia in penetralibus, hoc est in penitis aedibus colerentur," atque Festus „penetralia dicit esse Deorum Penatium sacraria." Hinc nec a penetrandis pectoribus dicti sunt iidem penetrales a poetis, ut Senec. Oed. v. 265:

Per regna iuro, quaeque nunc hospes gero,
Et quae reliqui: perque penetrales deos.

Phoeniss. v. 340:

Ferte arma; facibus petite penetrales deos.

Nam apud Catull. ad Manl. 102, Santenius iure praefert focos. — Haec penetralia autem focus est, in atrio positus, ubi paterfamilias et domus dominus sacerdos domesticis Diis sacra faciebat. Neque equidem prorsus negarim, Ciceronem N. D. l. l. hunc ipsum focum penum intelligi voluisse, cuius ope homines vitam sustinerent h. e. vescerentur (sic terra vesci ait Lucretius I, 1091), quoniam modo de Vesta egerat, cuius omnis vis circa focos, penates autem non longe ab hac vi abesse dixerat. Hoc certum, Tullium aliter ac vulgo soleret, accipi voluisse vocem penum. Alioquin

enim in Romano homine frigidum et putidum erat adiicere, „est enim penus omne, q. v. h.“ Quo enim ista vocis explicatio, nisi eo ipso loco aliud intellexit, quam quod unusquisque sic appellari sciret, victum quotidianum penaria cella conditum? Aut quid adiecta ea definitione ad declarandum Penatium naturam impetravit? Itaque eos non audimus, qui focum a penetralibus et ara domestica separant, eaque in diversis aedium partibus fuisse contendunt, alterum usibus profanis et Laribus, alteram Diis Penatibus destinatam.

Cap. 2.

De aris et focis.

Sic Ernestius Clavi Cic. s. v. Ara, ad Sueton. c. 92. eique obsecutus nuperus Forcelliniani lexici editor. Sola enim dignitate haec nomina differunt, ut ara sit focus quatenus Deorum cultui dicatus est; focus in universum editum locum s. crepidinem significat, ubi ignis alitur. Itaque si coniunctim loqui licet, recte focum privatum, aram publicam dixeris. Nam in privatis focis profanus et sacer usus coniunctus, publici contra toti ad Deorum cultum pertinent. Hoc nomine Virgilius Aen. V, 660 quamvis focos penetrales vocet, tamen ab aris discernit: „rapiuntque focis penetralibus ignem: pars spoliant aras.“ Hanc quoque veram formulae illius sententiam, ubi pro aris et focis certamen esse dicitur, contra Ernestium tuendam esse existimo. Nam penitus sic sibi invicem quodammodo respondentia habes ap. Cicer. Phil. VIII, 3: templa, penates — aras, focos. Apertius etiam Schol. ad Horat. epod. II, 43: Iuxta focum Dii Penates positi fuerunt, quo de loco infra iterum dicemus. Neque igitur officit Cic. N. D. III, 40: „At enim mihi tecum pro aris et focis et pro deorum templis atque delubris — certamen.“ Illic enim Cicero oratoris modo ad vim verborum augendam similia cumulat. Nam si argute hic res tamquam oppositas disjungamus, ne istorum quidem recta stet ratio. Nam sic in templis et delubris ne

aras quidem fuisse colligeretur. Si tamen accuratius dictum esse velis, arae publicae erunt sub divo in plateis et lucis constructae, quales commemorantur Plant. Aul. IV, 1, 20. Mostel. V, 1, 45. Quoniam vero nusquam puri ignis semina veneratione et cultu carent - ignis enim divinus habitus et ominis causa cum pio farre in alterum diem servatus, Serv. ad Virg. Aen. V, 745. Varro L. L. V, 59. — factum est, ut et privati foci, quatenus deorum sedes sunt, arae, publicae rursus arae communi nomine foci dicerentur, quum alias, (sic Veneris ara Prop. IV, 6, 66. Mercurii, Jovis, Minervae Ov. Met. IV, 754. Cereris Ov. Fast. IV, 935. Deorum Dearumque ruricolarum omnium Prop. III, 13, 32. Apollinis IV, 6, 2. ibid. v. 6.), tum ubi aut Diis minorum gentium dicatae minorem religionem haberent, aut ubi a privato cultu origine ducta in publicam venerationem transiissent. Neque igitur Varronis verba urgenda sunt, qui ap. Serv. ad Virg. Buc. V, 66: „Diis superis altaria, terrestribus aras, inferis focos dicari" affirmat. Etenim huius ipsius rationem si sequamur, aerii Dii, Lares, coelestibus vel terrestribus potius, quam infernis numinibus adnumerandi sint. Cf. enim Lib. I, c. 4. Varronem autem hic nomina, quae dignitate differre sciret, subtiliore divisione, quamvis neque accurata nec vera, distinguere conatum esse credimus. Alioquin enim opposita fronte ipse secum pugnare videretur, quia teste Servio ad Virg. Aen. III, 134: „Varro Rerum Divinarum (f. III.) refert, inter sacratas aras focos quoque sacrari solere, ut in Capitolio Jovi, Junoni, Minervae". Nam Varro Capitolinis illis tribus numinibus focos tamquam penatibus (cf. huius libr. c. 14.) et domesticorum omnium instar cultis positos significare voluit. Nam ut diximus, diis a privato cultu ad publicam religionem translatis ad originem significandam focus pro ara tributus est. Quod in Vestae fano imprimis factum esse, infra commemorabimus. Huius certe ara proprie focus appellatur. Propert. IV, 11, 547, id. IV, 4, 44. Ovid. Fast. VI, 301, 313. Valer. Max. IV, 4. s. fin. Lu-

can. Phars. I, 199. Cic. Legg. II, 8, 11. Cic. N. D. II, 27. Itaque ne de penetralibus huius Deae dicamus, quae ab eius foco nulla ratione divelli possint, atque adeo eadem habenda sint, qui ipse focus — de his enim infra uberius dicemus — duae autem res maximum nostrae argumentandi viae scrupulum iniicere et Ernestii partibus faventes hoc evincere videntur, ut ara domestica alia atque focus, illa quidem in penetralibus Penatium, hic in atrio Larum cultui separato destinata fuerint. Primum enim penatibus et arae non atrium sed cavaedium et inpluvium Suetonii testimonio assignari videtur, qui vit. Aug. c. 92: „Enatam“ ait, „inter iuncturas lapidum ante domum suam palmam in compluvium Deorum Penatium transtulit.“ Deinde vero cavaedium non solum diversum fuisse ab atrio, doctissimis argumentis nuper Beckerus (Gallo, excurs. I. ad sc. II.) demonstrare conatus est, sed etiam anticam potius domus regionem primamque introgresso quam penetralia fuisse. In illius igitur loci definitionem, quoniam tota quodammodo huius litis causa reiecta esse videatur, rem subobscuram et a doctissimis viris passim tentatam rationibus aggredi etiam nobis liceat, si quam in publicum philologiae commodum collectam attulisse videamur.

Cap. 3.

De atrio et de penetralibus domuum.

Primum enim atrium, quod semper focum et Larum, familiarium Deorum sedem, quod stemmata imaginesque maiorum continuisse omnes consentiunt, ne in minimis quidem domiciliis, si tabulatos plane inopum nidos, insulas, exceperis, abfuisse neque abesse potuisse patet. Itaque si quidquam propter spatii augustias aut rerum familiarium tenues rationes de solita aedium forma omittendum erat, illud postremo omittendum fuisse, necesse est. In iis igitur domibus, quae per tot saeculorum ruinas propitio numine integrae ad nos pertinuerunt, quaeque ipso interitu ab interitu servatae sunt, in Pompeianis autem et Herculanensibus aedibus, si una fere sola pars inter medios

parietes vacua relicta conspicitur, ut hoc atrium fuerit, iure coniecerunt viri docti. Quod enim ibi magnum foramen inter porticus latera tegentes coelum admittit, tantum abest, ut cum hac opinione pugnet, ut ei faveat. Nam quamvis tectum et testudinatum paeneque antro simile fuisse atrium Beckerus velit, sursum tamen maiore minoreve foramine apertum fuisse necessario cogitur, et ipse concedit Becker. coll. Vitruv. VI, 4. Primum enim, unde cellis et cubiculis cinctum nisi superne et a tecto lumen accipere potuerit, nequaquam perspicitur. Obscuram autem et tenebricosam illam praecipuam aedium partem fuisse veri dissimillimum est. Deinde iam ipse focus, cuius fumus columnas et proximos parietes inficiens ipsi atrio nomen dedisse a quibusdam quamvis grammaticae non peritis, Romanis tamen hominibus perhibetur — quod si Graeco μέλαθρον comparato, veterum Romanorum frugalitatem et simplicitatem priscarum domuum reputaveris, non ita absurdum. Cf. Et. M. s. v. Interp. ad Herod. VIII, 137. J. H. Voss. ad Hom. h. Cer. 188. — postulavit sibi foramen satis amplum, ne omnes circum res prorsus infuscarentur. His, quae ex ipsa rerum natura colliguntur argumentis diserta Romanorum auctorum testimonia accedunt. Non solum enim graecae aulae comparatio mediam certe atrii partem sub divo fuisse demonstrat. Namque Teucri ab Heleno domo accepti Virg. Aen. III, 354,

„Aulai medio libabant pocula Bacchi“,

cui si Horat. epist. I, 1, 87:

„Lectus genialis in aula est,“

et Gloss. Vet. „αὐλή - atrium“ contuleris, Virgilium Aen. VII, 171. Romani potentis instar, qui in atrio visitantium clientium turbam admitteret, Latinum regem Trojanos legatos manentem finxisse apparebit. Sed citra omnem disputationis aleam Aen. XII, 473. nostram sententiam firmat, ubi hoc est simile:

Nigra velut magnas domini cum divitis aedes
Pervolat et pennis alta atria lustrat hirundo

Pabula parva legens nidisque loquacibus escas
Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum
Stagna sonat.

Aulae igitur interdum, quam triclinio propriorem fuisse atrii speciem apparet, et arborum vitiumque cultum vel adeo viridariorum et lacuum laetum aspectum et impluvii atque compluvii usum admisisse. Non enim est, quod huc referre dubitemus Virg. Aen. II, 512:

Aedibus in mediis nudoque sub aetheris axe
Ingens ara fuit, iuxtaque veterrima laurus
Incumbens arae atque umbra complexa penates.

Nam si nulla occupatus opinione locum adeas, quin res in atrio agatur, dubitare non possis, collato praesertim v. 528. Hic enim Polites, qui

„porticibus longis fugit et vacua atria lustrat"

a Pyrrho correptus ante ora patris confoditur. Ille autem iuxta aram et penates modo memoratos consederat. Apertius etiam illud v. 484. Nam simulatque cavato limine Pyrrhus fenestram fecit:

Apparet domus intus et atria longa patescunt,
Apparent Priami et veterum penetralia regum
Armatosque vident stantes in limine primo,

ubi si penetralia sacrarium in atrio positum significare amplius dubites — quomodo autem quis per fauces cavaedium apparuisse et in limine stantes inde visos esse dicat? — iam eversa ianua protinus Priamus per aras sanguine foedat ignes a se sacratos (v. 502). Quid multa? focos penetrales ipsos dictos invenimus a Virg. Aen. V, 660, ne de eorum loco et coniuncta cum penetralibus natura dubites; penetrales focos optimi cuiusque codd. mss. consensu restituit Santen. Catull. Manl. 101: „Ad quam tum properans fertur simul undique pubes Graeca penetrales deseruisse focos," et Declamat. de harusp. resp. c. 27: „deorum ignes, solia, mensas, abditos ac penetrales focos" coniungit, quod diligentem Ernestium praetervidisse mireris. Neque offendere quemquam possit haec penetralium definitio,

dummodo focum in medio atrio sub tecti foramine positum, ipsum mediam aedium partem et quodammodo umbilicum cogitaveris, ubi nisi additum pone atrium cavaedium ipsum interius et remotius videretur, satis absconditi haberi potuerunt Dii penates sacellis suis et scriniis clausi. Eodem igitur refero Virg. VII, 59 descriptionem regiae Latini et Propert. IV, 8, ubi Cynthia a publico veniens rumoresque ad primos Lares ciens inter coenantes intrat (v. 50). Hi autem in lectis in „herba" factis (v. 35) accumbebant. Iis tamen, quae supra posuimus, non negatur potuisse etiam, ubi usus aut necessitas postularet, artius contrahi lumen, et praeter angustum foramen totum contegi. Nihilo minus tamen et alae suum usum formamque servaverunt, et comparatio atrii cum templo Tuscanico, nostram de templo Vestae et atrio regiae opinionem (de qua vid. infr. cap. 8) egregie confirmat. Id tamen docta Beckeri disputatio evincit, ut in amplioribus aedificiis atrium clientium officiis concessum a cavaediis plane diversum fuerit, hoc autem iis usibus relictum ut fuerit, quibus maius lumen, maiorque area aptior videretur, hortorum et aulae. Talibus in aedibus fortasse focus cum Laribus et Penatibus in partes reconditiores transmigravit, ubi a Suetonio l. l. commemorantur. Neque illud absonum, in maioribus aedibus vel plures focos fuisse, alios in culinis profanis prorsus usibus relictos, alios Deorum cultui reservatos. Itaque Cic. de singulis domibus, pro Dom. 40: „unius cuiusque vestrum sedes, aras, focos." ibid. 41. extr.: „hic arae, hic foci, hic Dii penates" pro Deiotar. c. 3: „te amicum et placatum Deiotari arae focique viderunt", et Plin. Paneg. 68, „de aris focisque domesticis" loquitur. Eodem refer Cic. Phil. II, 30, pro Sext. 42. Quo usu semel recepto neque illam formulam „pro aris et focis", de qua supra diximus, de privatis aedibus interdum acceptam, verisimile esse negamus.

Cap. 4.

De vi et natura Penatium domesticorum.

Sed vix opus erat, nos circumagi. Haec omnia enim, ut focus et ara eadem et diis Laribus et iis, quos Penates aiunt sacra, ut penetralia in atrio, ut hoc ipsum in minoribus id est in plerisque aedibus pro cavaedio fuerit, iam sponte sequuntur, si inter Penates quos Deos in penetralibus cultos nemo iam definire dubitaverit, etiam Lares familiares, quorum omnis circa focum et in atrio religio, cultos esse demonstraverimus. Sunt autem revera Penates domestici Dii tutelares domus omnes, quorum species Lares familiares. Nam ita eiusdemmodi paene notionis factos esse, ut utrique et Penates et Lares pro aedibus ipsis sollemni metonymia ponerentur, iam pervulgatum est. Quo quidem memorabilius illud, quod plane ut *συνώνυμα* coniunguntur ap. Prop. II, 30, 22:

Spargere et alterna communes caede penates
Et ferre ad patrios praemia dira lares.

Ubi noto apud poetas usu breviori versu eadem sententia, quae in heroico, mutatis modo verbis illustratur. Similiter Cicero pro P. Quint. postqam c. 26 dixit: „iam a suis penatibus praeceps eiectus, iam suorum servorum manibus violatus esset," brevi interiecto spatio eandem rem significaturus c. 27. s. fin. ait: „Illud dico, dominum expulsum esse de praedio; domino a familia sua manus allatas esse ante suos Lares familiares." — Lares enim, utpote ipsi in penetralibus culti, Penatium privatorum numero continentur. Hoc aperte ait Servius ad Virg. Aen. II, 514: „Penates sunt omnes Dî, qui domi coluntur." Idemque omnes quae de foci et arae ficto discrimine aguntur contentiones unius verbi quodammodo *καιρίᾳ πληγῇ* dissolvens ad Aen. III, 469: „Singula enim membra domus sacrata sunt diis: ut culina diis penatibus." Quid enim? Etiam nunc locum illum, ubi vulgatissimo usu cibus victui quotidiano coquebatur, sancta Penatium nu-

mina non respuisse, foci autem, qui ex istorum opinione ne in culina quidem esset, familiae sedis et atrii communionem ut nimis profanam pertaesa Laribus de plebe Diis reliquisse, an in prisca Romanorum morum simplicitate culinam, coenaculum, atrium eadem fuisse dicamus? Quod et rei ratio et Penatium natura comprobat. Itaque et Servius Aen. III, 134: „focos pro penatibus" et rursus (ad I, 704) penates pro focis dictum interpretatur et Labeo ap. eundem Servium ad Aen. III, 168 Lares dividit in viales (quibus coniunctim publicos significari supra vidimus libr. I, c. 12 coll. Serv. ad Aen. III, 302) et penates, quos domesticos esse sequitur. Ait enim ille in libris, qui appellantur de Diis animalibus „esse quaedam sacra, quibus animae humanae vertantur in deos, qui appellantur animales, quod de animis fiant" — hos Lares esse demonstravimus I, 4 — „hi autem sunt Dii penates et viales." Itaque in inscriptione (ap. Orell. n. 1589) commemorantur Conservatores Larum Penatium. Nam sic legendum esse, quod expressum est: CONSER. ET. LARVM PFNATIVM. D. D. viri docti perspexerunt. —

Cap. 5.

De Laribus domesticis reliquisque penatibus iam pridem confusis.

Huc etiam pertinet Schol. ad Hor. Epod. II, 43: „Iuxta focum Dii Penates positi fuerunt, Laresque appellati, idcirco quod ara Deorum, Larum focus sit habitus." Qui quamvis recte iisque, quae supra exposuimus, accommodate aram publicam, focum privatum significat, in eo tamen, quod Lares et Penates prorsus indiscretos et eosdem habet, confusionis arguitur, quae veteribus institutis oblivione delitescentibus sensim obtinere coepit. Nam Tertullian. quoque Apolog. 15: „Domesticos", ait, „Deos, quos Lares dicitis, domestica potestate tractatis, pignerando, venditando, demutando, aliquando in cacabulum de Satur-

no, aliquando in trullam de Minerva, rell.", quasi Saturnus et Minerva non coniunctim potius inter penates, quam inter Lares, generis Deos, censendi fuerint. Similiter Servius ad Virg. Aen. V, 64: „Sciendum, quia etiam domi suae sepeliebantur: unde ortum est, ut dii penates colantur in aedibus." Quod ad solos Lares penates pertinere supra vidimus (Lib. I, c. 4). Qua re Servius tamquam verius exinde doctus ipse se corrigere videtur Aen. VI, 152, ubi in eadem re: „Apud maiores, ut supra diximus, omnes in suis domibus sepeliebantur. Unde ortum est, ut Lares colerentur in domibus — Nam Dii penates alii sunt." Quamquam in eodem scrupulo peccans ad Aen. III, 168: „Quod autem dicit, a quo principe genus nostrum est potest generaliter intelligi, unde originem duximus, ut Deos penates, quasi Troianos intelligas", ubi Virgilianum interpretem parum intellectis Labeonis verbis seductum esse patet. Hanc tamen confusionem, quo libentius excuses, utrorumque numinum religio et locus faciunt, non modo propinqua sed eadem. Nam penetralia interiores domus partes rebus divinis destinatas, modo laxius definita atrium, modo artius loca foco proxima, focumque ipsum, interdum etiam ab iis, qui accuratissime loqui vellent, sacraria condita et clausa significare et ex iis, quae diximus, et quae in expositione sacrorum allaturi sumus, apparet. Iisdem autem scriniis cum Laribus inclusi, scrinia vel sacella, quoniam a potiori fit denominatio, Lararia appellata. Ex quo Lamprid. Sev. c. 29. Alexandrum Severum scribit „in larario rem divinam matutinis horis factitasse ad effigies Deorum, in quibus habebat Abrahamum et Christum." In secundo larario habuit simulacrum Virgilii et Ciceronis. Nam horum virorum genii, qui nequaquam gente aut origine Severi domum contingebant, penatibus quidem, nec tamen familiae Laribus adnumerari potuisse patet. Sed omnino una cum Laribus colebantur, ut Genius Augusti apud Virg. ecl. I, 43, cui simul cum Laribus

Bis senos, per annum, dies altaria fumant.

Cf. Lib. I, c. 20. Neque igitur Suetonius erroris est accusandus, qui Vitellium (vit. c. 2. s. fin.): „Narcissi et Pallantis imagines aureas inter Lares“ coluisse tradat. Sed hic ipse mos, quo mortuorum vel superstitum patronorum non modo genii sed ipsae imagines divino honore mactatae in privata sacella et inter penates reciperentur, extremis demum reipublicae temporibus usurpari coeptus est. Tum enim denique a publico honore, quum initio viri de rep. bene meriti in foco aut in templis (cf. Plut. Caes. 6. Dio Cass. XLIII, 45. Suet. Caes. 76. Ascon. ad Cic. pro Scauro p. 1017. Plut. Brut. p. 984. Propert. el. IV, 11, 43, et quae ad eius loci interpretationem germanicam adnotavimus) statuis celebrarentur, in privatam adulationem transiit. Quod tamen, quantum equidem sciam, primum in Divo Iulio factitatum esse videtur. Hunc enim fortasse tangit Virg. Buc. V, 68. Mox serva adulatio, quae sacra profanis, patria peregrinis miscere non veretur, modum non invenit. Nam Plinius N. H. XXXIV, 9. s. fin. „Et iam omnium municipiorum foris statuae ornamentum esse coeperunt, propagarique memoria hominum et honores legendi aevo basibus inscribi, ne in sepulcris tantum legerentur. Mox forum et in domibus privatis factum atque in atriis. Honos clientum sic instituit colere patronos.“ Nec porro, ut ad usum pristinum redeamus quidquam Porphyrio et Schol. Cruq. ad Horat. sat. I, 5, 65 sq. dissentiunt, cum alter bullas adultorum Penatibus alter Laribus suspensos esse tradit. Quamquam hic accuratior, qui solos Deos generis, quorum is honor proprius (cf. Lib. I, c. 5), non universos domesticos commemorat. Hinc urbaniora etiam et argutiora existimes verba Ovidii Trist. I, 1, 105 sq., si libros suos cum Diis penatibus cum comparasse credas. Haec enim ille alludens:

Cum tamen in nostrum fueris penetrale receptus
Contigerisque tuam, scrinia sacra, domum.

Sed, quantumvis coniunctus fuerit cultus et cum Laribus reliqui Penates in idem sacrarium recepti, probe tamen, ut par est, si accuratius loquuntur, antiqui utrumque genus discernunt. Itaque etiamdum Theodosius M. in lege, quae est l. 106. Theod. de Paganis: „Nullus omnino secretiore piaculo Larem igne, mero Genium, Penates nidore veneratus accendat lumina, imponat tura, serta suspendat." Sic in imprecationibus, quamvis iuxta positi, tamen ut diversi appellantur Plaut. Merc. V, 1, 5: „Dii penates meum parentum familiaeque Lar pater", iterumque 7: „Ego mihi alios Deos Penates persequar alium Larem." Virg. Aen. IX, 258: „per magnos Penates, Assaricique Larem." Add. eund. VIII, 543. Declamat. pro domo sua: „Ista tua pulchra Libertas deos Penates et Lares meos familiares expulit." Nam si prorsus iidem essent, non oportebat eos nec licebat particula et coniungi. Iam vero generi species subiuncta, pars toti rei, quomodo „Italiam Lavinaque littora" dictum esse a Virgilio constat, ut Penates et Lares sit Penates et quidem Lares. Quamquam iis locis, ubi tam accurate discernuntur Lar et Penates, ut Plaut. l. l. Virg. A. IX, 258, Penates κατ᾽ ἐξοχὴν ii intelligi possunt, qui non Lares essent, eorumque appellatione nondum continerentur. Illic igitur „Lares et Penates" sic dictum, ut „Pindarus et novem lyrici" apud Petronium, ut fere idem sit, atque „Lares et reliqui Penates". Eodem modo accipiendum esse existimo, ubi „Penates ac dii patrii" advocantur, ut Cic. Sull. c. 31. pro Sext. 20. Har. resp. 17. Nam „deos patrios" Lares etiam proprie dictos supra vidimus l. I, 6. coll. I, 18. —

Cap. 6.

De diis Penatibus, qui proprie dicerentur.

Unde ortum esse existimo, ut Penates simpliciter dicti, nisi aliud loci ratio suaderet, pro iis ipsis penetralium Deorum acciperentur, qui non essent Lares. Sic

igitur qui interpretetur legem Theodos. recte interpretetur. Nam hoc nomine etiam discretos eos esse patet a Laribus, ubi singularibus sacris penates culti referuntur, ut est in Kalendario rustico Farnesiano ap. Orell. T. II, p. 388, ubi sub finem mensis Ianuarii: SACRIFICANT DIIS PENATIBVS. Certe Laribus domesticis hoc anni tempore factum esse aliunde non constat, Lares autem compitales, quibus circa id tempus feriae conceptivae (I, 17), in publico et sub divo cultos Penatium numero contineri non potuisse patet. Idem fecisse videtur Varro ap. Arnob. III, p. 123, qui cum „Penates introrsus atque in intimis penetralibus coeli Deos esse censeat, nec eorum numerum nec nomina sciri“, Lares ea definitione comprehendi non posse patet. Quod autem nesciri nomina ait, hoc significat, non omnia, utpote infinita sciri. Nam nominantem aliquos eorum ipsum eum videbimus loco, qui infra explicabitur, L. L. V, 58.

Iam vero si haec quaestio fiat, qui tandem illi reliqui Penates fuerint, in penetralibus aedium praeter Lares privata religione culti: nomina quidem singula recensere nos non posse, nec qui prae caeteris curve recepti sint edocere, candide profitemur. Nec vero a quoquam hoc fieri posse confidimus, ut vetitum rei natura. Videntur enim hi Penates Dii fuisse qualescunque, quos ut quique paterfamilias prae caeteris sibi propitios credidisset, in sacrarium domus penetrale recepit. Patris pietas in filio, nepote, tota deinceps prolis serie permansit et simulacra deorum ab avis et atavis cultu hereditario quodam posteris tradita. Hinc apud Plautum Merc. V, 1, 75: „Dii penates meum parentum“, et Hyginus in libro, quem de Diis penatibus scripsit, vocari eos *θεοὺς πατρῴους* ait teste Macrob. Sat. II, 4. Item Virgilius Aen. II, 717. patrios penates appellat et Orat. pro dom. 57. Cic. Verr. IV, 8. Quo apertius etiam Virg. Aen. V, 62: „Adhibete penates et patrios et quos colit hospes Acestes.“ Addidit autem dominus, domus pro tempore rex et sacerdos novos, quos prae

caeteris foveret. Nec solum illos coelestes et superos, sed aerios hos, qui quamvis in universum divi defunctorum animi Larum nomine continerentur, tamen Lares familiares domus illius non essent. Itaque Alexander Severus Genios Abrahami, Christi, Virgilii, Ciceronis, quos pro dignitate virorum diversis scriniis assignavit coluit et Nigidius (ap. Arn. III, p. 123) „in libro sexto exponit et decimo, disciplinas Etruscas sequens, genera esse Penatium quatuor, et esse Jovis ex his alios, alios Neptuni, inferorum tertios, mortalium hominum quartos". Hic enim quum extremo genere Lares amplexum esse pateat, reliquis tribus omnia coelestia, marina, infera numina, dummodo in penetralibus colerentur, Penatium nomine comprehendi demonstrat. Neque aliter Varro l. l., quamvis hic de Penatibus κατ᾽ ἐξοχὴν loquens, mortalium hominum divos animos, ut par est, non commemorat, omissis etiam inferis.

Cap. 7.

De Penatibus publicis.

Haec de Penatibus, qui in singulis domibus culti sunt, satis dicta sunto. Sequitur, ut de eorum natura exponendum esse videatur, qui publico totius civitatis honore Penates accepti sunt. Hos enim Cicero advocat pro Sulla 31, 86: „Vos, Dii patrii ac penates, qui huic urbi atque huic imperio praesidetis, qui hoc imperium, qui hanc libertatem populumque Romanum vestro numine auxilioque servastis." Hos Varro L. L. V. 144. Müll. nostros Penates ut Romanus homo appellat. Neque alio nomine familiares Penates, nisi ornatus potius quam discriminis causa eam vocem additam dicas, commemorari possent, quod quamvis in compta et composita oratione concedas, in inscriptionibus, quarum omnis in brevitate laus posita est, fieri posse negamus. Atqui sic invenimus ap. Orell. p. 2119., DIIS DEABVS PENATIBVS FAMILIARIBVS et adiecto familiae nomine Junianos ibid. n. 1587. Hinc novum argumentum infinitis a Fr. A. Wolfio inventis ad-

dendum est, ut plagii Declamator ille convincatur, qui occupato Ciceronis nomine „pro domo sua" orationem scripsit. Nam quum c. 57: „patrii Penates familiaresque" invocantur: illud quidem recte. A suis penatibus enim eiectus erat: quod vero addit: „qui huic Urbi et reipubl. praesidetis": quis non ineptam et importunam imitationem sentiat, qua locum orationis pro Sull. modo allatum exprimere conatus diversa et tantum non contraria sibi coniunxit. Etamsi enim iidem Dii et Ciceronis privati, et imperii publici penates esse potuerunt, tamen quatenus hi Penates erant Ciceronis familiares, h. e. quatenus Cicero ipse eos obtestabatur, eatenus nequaquam iidem reipublicae praesidebant.

Cap. 8.

De publicis Urbis penetralibus, de Regia et de atrio Vestae.

Accommodata autem haec religio iis rationibus, quibus omnem populum unam gentem unamque quodammodo familiam affinitatis et cognationis vinculis iunctam videri voluerunt. Nam ut populus familia, sic Urbs publica et communis domus. Quoniam autem Penates a loco, ubi culti sunt, sive eum penum, sive penetralia appellas, nomen et naturam acceperunt, etiam publici Penates sua penetralia habuerint necesse est. Unde sequitur, ut, quae tandem Urbis et Populi penetralia habenda sint, quaerendum esse videatur. His inventis etiam Deos, quorum illa sedes, inventuros esse nos, sperandum est. Neque ubi quaeramus dubium esse potest. Etenim, ut privatus focus, ad quem familia conveniebat, Penatium deorum sacrum et penetralia ipsa habebantur, sic focum publicum, in quo aeternus ignis servabatur, quique prae caeteris aris κατ' ἐξοχὴν focus audiebat, penetralia Urbis communia habita esse, non modo colligitur, verum etiam disertis veterum testimoniis affirmatur. Nam Vestae focum tamquam propria appellatione, locum ignis usui destinatum dici supra vidimus cap. 2. Quem focum publicum et Urbis Cicero haud dubie ait

Legg. II, 3: „Virgines Vestales in urbe custodiunto ignem foci publici sempiternum“, et II, 12: „Cumque Vesta quasi focum Urbis — amplexa sit.“ Penetralium nomen autem tam arte cum hac dea connexum est, ut erroribus actus Aeneas paene circumtulisse ea secum videatur. Itaque non modo Aen. II, 296:

manibus vittas Vestamque potentem
Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.

sed peregre degens ab Aceste hospitio exceptus patre per insomnium viso V, 745:

Pergameumque Larem et canae penetralia Vestae
Farre pio veneratur.

iterumque Ascanius IX, 258: „per magnos penates Assaricique Larem et canae penetralia Vestae“ amicum obtestatur. In Vestae templo etiam penum propriam suam significationem retinuisse Festus testatur s. v. p. 215 Lindem.: „Penus vocatur locus intimus in aede Vestae segetibus saepius“ („tegetibus septus“ recte sine dubio reposuerunt), „quod certis diebus aperitur: ii dies religiosi habentur.“ Quamquam in certis solum et solemnibus dicendi formulis hanc vocem usu venisse docte adnotat Interp. ad Virg. Aen. III, 12: „nam et ipse penetral penus dicitur, ut hodie quoque penus Vestae claudi et aperiri dicitur.“

Jam vide, quam egregie hoc institutum ei Romanarum religionum quodammodo indoli sit accommodatum, quam in Laribus praestitibus iam animadvertimus. Hi enim quomodo ex privato regiae domus cultu in publicam venerationem transiisse fingebantur, quoniam regia domus publica, stirps regia totius populi stirps habebatur, ut hi, qui regum atavi etiam populi atavi et ἐπώνυμοι haberentur: eodem plane modo eius regis domus, ad quem sanctissimum quemque patriorum rituum referrent, commune Urbis penetral continere credebatur. Numae enim domus, quae dum antiqua Roma stabat, Regia semper appellata est, in suo foco sacras Vestae flammas servabat, huius penetral Urbis penetral, huius atrium templum Vestae. Hoc tam certis veterum

testimoniis docemur, ut quomodo Lipsius (de Vesta c. 4.) dum confundere Ovidium diversas res arguit, ipse confusionis reus fieri potuerit, vix intelligas. Nam poëta non modo Vestae templum appellat „penetrale Numae" Fast. II, 69. sed idem apertius etiam ibid. VI, 263 sqq.:

Hic locus exiguus, qui sustinet atria Vestae,
Tunc erat intonsi regia magna Numae.
Forma tamen templi, quae nunc est, ante fuisse
Dicitur.

Trist. III, 1, 30:

Hic locus est Vestae, quae Pallada servat et ignem:
Hic fuit antiqui regia parva Numae.

Itaque si Festus s. v. October equus p. 186 Lindem. equi illius Marti immolati (cf. Plutarch. Q. R. 97.) caudam „tanta celeritate perferri in regiam" dicit „ut ex ea sanguis destillet in focum, participandae rei divinae gratia", tantum abest, ut cum Ovidio pugnet, qui cruorem equi destillatum suffiminis loco Palilibus usurpatum esse narrans haec ait:

I pete virginea, populus, suffimen ab ara,
Vesta dabit. Vestae munere purus eris.
Sanguis equi suffimen erit —

ut optime omnes rationes ad confirmandam nostram opinionem coeant. Focus enim Regiae, ut diximus, ara Vestae. Itaque et ipsum dicitur atrium Vestae, ut apud Ovid. VI, 263, Plin. epist. VII, 19. Gell. I, 12: „Virgo vestalis in atrium Vestae deducta et Pontifici tradita", et pro hoc accipiendum sacrarium Regiae apud Gell. IV, 6. Cf. infr. c. 12. Hanc circum cubicula, Vestalium Virginum domicilia fuisse necesse est, quas alioquin in aede deae habitasse, totamque fere in eo vitam produxisse, ne cogitari quidem posset, uti Dionys. Hal. I, 67. docet: δίαιταν ἔχουσι παρὰ τῇ θεῷ, Plinius epist. l. l. indicat: „Virgines, cum vi morbi atrio Vestae coguntur excedere, matronarum curae custodiaeque mandantur". Huic atrio contiguum fuisse Regis domicilium profanis etiam eius usibus concessum, quamvis ut domum publicam ne sic quidem religionis pror-

sus expertem, cogitandum est. Itaque qui accuratius loqui affectarent, has aedes Regiae nomine ab atrio seiunxerunt, ut Plut. Num. 14: Ἐπεὶ δὲ διεκόσμησε τὰς ἱερωσύνας ἐδείματο πλησίον τοῦ τῆς Ἑστίας ἱεροῦ (quod ipsum aedificaverat c. 11.) τὴν καλουμένην Ῥηγίαν, οἷόν τι βασίλειον οἴκημα. Quocum consentiens Dio Cass. LIV, 27. ὁμότοιχον Regiam atrio Vestae appellat et Solinus 2: Numa habitabat propter aedem Vestae. Sic etiam interpretandus Ovid. Fast. VI, 263: locus, qui sustinet atria Vestae, neque Horat. Od. I, 2, 15. monumenta Regis Templaque Vestae, ut solent, per formulam, quam ἓν διὰ δυοῖν vocant, explicare opus est, dummodo monumenta regis pro Regia strictiore sensu accipias. Monumentum enim omne dici, quod memoriam rei cuiusdam contineat, ad Prop. IV, 6, 17. quondam dicemus. Neque igitur Serv. ad Virg. Aen. VII, 153, quum dicit: „templum Vestae non fuit augurio consecratum ne illuc conveniret senatus, ubi erant Virgines. Nam haec fuerat regia Numae Pompilii" — hactenus quidem cum caeteris dissentit; quamquam in eo quod inauguratam esse Vestae aedem negat, haereo (cf. enim infra s. fin. huj. cap.). Quod vero addit: „Ad atrium autem Vestae conveniebat, quod a templo remotum fuerat" ita repugnat omnibus proborum scriptorum, Plinii imprimis, Gellii, Ovidii auctoritatibus, ut Grammaticum hallucinantem et quomodo atrii notitiam cum templo concoqueret, nescium, utrumque tamquam diversum posuisse, existimandum sit. Religio tamen qua senatum in Vestae templo cogere nefas haberetur, quam proprio Marte finxisse sibi Servium credibile non est, antiqui cuiusdam auctoris sed male a grammatico accepta verba eius interpretationi subesse, suspicionem movet, quorum vestigia in voce „ad" deprehendere mihi videor. Invenerat enim Servius, in Regia — quae proprie dicebatur — iuxta atrium Vestae ab ipso tamen templo et deae sacrario (quod ipsum est atrium Vestae) Senatum convenisse. Iam quum alio loco Regiam latiore sententia etiam templum comprehendere, alio de-

niqne Virgines in templo Vestae habitasse legisset, haec omnia ita miscuit et pro suo captu disposuit, ut atrium Vestae et a templo et a Regia et a Virginibus (quod contra cf. Plin. l. l.) seiungeret. — Veteris autem illius usus, quo atrium regiae civitatis templum existimabatur, Romanos oblivisci ut nomina ipsa vetuerunt, sic doctos certe eam memoriam retinuisse testatur Virgilius, qui Aen. VIII, 168, ubi de regia antiqua Pici sic verba facit, quasi aut morem Italicis populis quondam communem veteres historias secutus describat, aut ad Romanae regiae exemplar illam apud animum conformaverit. Nam illic quoque regia Pici Latini curia et templum est. Hic in penetralibus altis (v. 59.) laurus Apollini sacra, ad cuius altaria Latinus pater, rex et sacerdos filia ministra rem divinam facit (71.). Neque illud ipsum atrium poeta templum appellare dubitat v. 192:

Tali intus templo divûm patriaque Latinus
Sede sedens Teucros ad sese in tecta vocabat.

Hic epulis sacris frui solebant patres, usu, ut videtur, ex privata consuetudine in publicam religionem translato, siquidem Cato apud Serv., Aen. I, 730: „antiquos in atrio coenasse tradit.“ Quod, quamvis postea in beatioribus Romae domibus omissum esset, tamen in rusticae vitae frugalitate vel Augusto principe adhuc obtinuisse Horatius docet, qui Sat. II, 6, 65:

ipse meique“, ait,
Ante Larem proprium vescor.

Add. Od. I, 9, 5, ubi hieme bibens: Dissolve frigus ligna super foco large reponens. Virg. Buc. V, 70. — Nulla enim coena sine religione, nec fere ullius dei cultus sine coenarum lautitiis. Nam ne de Saliis (cf. Liv. XXXIX, 43. Turneb. Advers. 6, 7. Fest. s. v. Interpp. ad Suet. Claud. 33, ad Hor. Od. I, 36, 2) fratribusve Arvalibus (cf. Acta Fratr. Arvall. passim) dicam, id solum quod propius ad nostram rem pertineat, commemorem: publicis coenis cum penetralibus civitatis tam amicum commercium, ut Livius, ubi (XLI, 20) Cyzici Prytaneum explicat, „hoc est penetrale

Urbis, ubi publice, quibus hic honos datus est, vescuntur", paene publicarum solum epularum gratia eum locum penetrale vocasse videatur. Quem patrium et probum morem tantum abest, ut Romani homines exactis regibus destituendum censuerint, ut Pontifices Maximi regum in cura sacrorum successores splendido epularum suarum apparatui, quas in atrio domus suae h. e. Vestae templo celebrasse verisimillimum est, proverbii honorem impetrarent. Cf. enim interpp. ad Horat. Od. II, 14, 18. et Macrob. II, 9, qui coenam Metelli Pontificis describens omnes virgines Vestales, quot quidem adultae erant — h. e. quatuor: nam quae intra primos sacerdotii annos essent, impuberes puellas adhiberi, vix par erat — affuisse docet. In Pontificem autem, ut diximus, a regibus summa sacrorum cura transiit; quamquam haud defuerunt, qui hunc etiam honorem cum multis aliis, qui ad res sacras pertinuerunt, a Numa ipso institutore repeterent (Liv. I, 20.), verum ne sic quidem in primo pontifice Numae nomine omisso. Numam enim Marcium appellant. Huic regia et prae caeteris Vestae, virginumque sacrarum tutela perpetua commissa. Itaque Augustus pontifex, quum suae domi et in Palatio habitare ei concessum esset, privatarum suarum aedium partem inaugurari iussam (Cf. Dion. Cass. LIV, 27. coll. infr. c. 17) alterum Vestae templum fecit. Quamquam enim in hunc sensum fragmenta Fastorum Praenestinorum prid. non. Mart. frustra conati sunt restituere, aperte tamen testatur Ovidius Fast. IV, 949:

cognato (Vestam per Venerem et Aeneam genere contingente) *Vesta recepta est*
Limine. Sic iussi constituere patres.
Phoebus habet partem; Vestae pars altera cessit.
Quod superest illis tertius ipse tenet.
State Palatinae laurus, praetextaque quercu
Stet domus. Aeternos tres habet una Deos.

Hinc nisi de atrio Caesaris accipi non posse apparet Ovid. Met. XV, 864: Vesta Caesareos inter sacrata Penates. Ne autem quis in eodem scrupulo haereat, quo permotos multos, quos sine communi Vestae foco anti-

quam Urbem ne cogitari quidem posse ratos iam a Romulo et templum conditum et sacra instituta censuisse Dionysius auctor est (II, 65. sq. quibuscum consentit Propertius IV, 4, 15 et I, 16, 2, omnesque qui Tarpeiam Vestalem virginem tradiderunt), vix nunc monendum esse credo, nedum quis ipsius Dionysii commentis difficultatem tollere studeat, invisum Romulo matris crimine Vestae numen, aliaque absurdiora etiam fingentis. Nam Numa, ut revera vir eo nomine et Rex Romanus vixerit, quin saeculorum decursu persona quasi quaedam fabulosa et μυθικὴ facta sit, in quam omnia rei divinae instituta tamquam in unum auctorem referrentur, vel adeo, quin illud nomen, prosopopoeia antiquis fabulis satis vulgari, quamvis a nimis sobriis inferiorum temporum scriptoribus raro intellecta, has ipsas institutiones significet, neminem etiamnum dubitare credo. Vereor magis, ut qui sic invita, ut aiunt, Minerva interpretati sunt, id quod ipsi voluerunt, effecerint. Etenim dum Numae templi et cultus institutionem vindicant, ea quae in templo servata sola eius religionis ipsiusque templi causa fuerunt, non modo a Romulo, sed ab ipso Aenea et Trojanis repetunt. Hi enim cum penatibus Vestam Latio intulisse uno ore feruntur. Per haec communia numina originem Romanorum Phrygiam demonstrari.

Cap. 9.

De Aeneae Penatibus.

Quod ut recte fieri posset, Aeneam non magis privatos suos, quam Priami et regiae domus publicos Penates Troiae ruinis servasse debebant tradere. Hi enim demum perpetua Urbis vel excisae tutela imperium fatis Populi Romani maioribus aeternum spondere poterant. Itaque alii publicos Penates a Pantho Aeneae profugo ex arce allatos esse narrabant (Interp. Lion. ad Virg. Aen. III, 12.). Contra Varro Aeneam ipsum arce a suis occupata sacra abstulisse autor fuit. Tantum enim certe ex fragmentis Schol. Veron. ad V. A. II, 714 apparet. Quocum concinit Dionysii narratio, qui

I, 46. Urbe ab hostibus capta Aeneam cum frequenti multitudine in arcem, ἐν ῇ καὶ ἱερὰ τὰ πατρῷα τοῖς Τρωσὶν ἦν, se recepisse tradit. Hanc quoque quum Graecis gravius prementibus relinquere coactus esset, abeuntem ipsos se et patria sacra servare (τὰ δὲ σώματα καὶ τὰ ἱερὰ πατρῷα διασώσασθαι) iussisse. Hanc fabulam quod Virgilius neglexit, ne miserabilem Priami ante aras et patrios Deos trucidati exitum omitteret, haud callide fecisse, multumque decoris inde carmini suo detraxisse existimamus. Ita enim id, quo totum Aeneidis argumentum tamquam in cardine versatur, leviter solum attingere potuit. Nam quum hoc efficere vellet, ut Juliae gentis avus Troianis sacris et imperii pignoribus Latio illatis nominis Romani maiestatem Deorum praesentium ductu et numine condidisse videretur, quam illud hercle melius et efficacius assequutus esset, si sacra Romanorum patria et publicos penates, Troiani quoque populi quum publica, tum regiae gentis, cuius Aeneas Priami prole excisa solus et legitimus erat heres, propria fuisse demonstrasset. Tum enim nova Troia („Troia Roma" Prop. IV, 1, 87 coll. v. 53, cum quo componendus interp. Veronensis ad Aen. II, 703: „discessionis et vaticinii .... reparandae gentis interpre ... ut non perisse Troiam signorum praesentium maiestate doceatur", ubi lege: d. id vaticinium et reparandae g. interpretor) Augusto sacra sua debere, curamque eorum simul cum imperii habenis tamquam ius hereditarium et nepotibus regiis iniuria tam diu negatum illi tradidisse videretur. Virgilius contra ubi rerum ordine enarrare cogitur, qui factum sit, ut hostili igni sacra erepta servarentur, transeundo potius et paene timide indicat. Nam hoc tantum Aeneas patrem allocutus, V, 717: „Tu genitor, cape sacra manu patriosque penates." Nam Anchisae domum, quamvis regiae cognatam, ipsam regiam, atrium civitatis templum, focum publicam Vestae aram et penetralia haudquaquam fuisse bene novit. Neque haec molestia et interius quodammodo argumenti ulcus, quod poeta ipse bene sensit

eo sanatur, celatur magis, quod aliis tamen locis publicos fuisse penates ab Aenea raptos indicare studet. Quo non modo referam VII, 121: „Vosque, ait, o fidi Troiae salvete Penates“ et V, 632: „o patria et rapti nequidquam ex hoste Penates“, sed apertius etiam, quocum eventus plane pugnat, Hectorem per insomnium Aeneae visum sic interloquentem facit:

Sacra suosque tibi commendat Troia penates
Hos cape fatorum comites, his moenia quaere
Magna pererrato statues quae denique ponto.

Voluisse tamen haec Virgilium mutare nisi immatura morte abreptus esset, eo magis confido, quod eum potissimum locum, ubi si usquam mentio facienda erat servatorum Penatium (Aen. II, 567—589), quoniam statim post ab arce et regia domum refugientem fingit Aeneam, resectum a Vario et Tucca tradunt (sic. cod. Dorvill., gloss. Cortii, Servius Fuld.) Notatum igitur eum locum iam ipsius poetae manu, mihi quidem certum est, qui argumentum illud postmodo retractaturus interim hiatum versibus parum ad rem pertinentibus expleverat. Vestigia autem adumbrationis illius, qua postea vivis coloribus exacta repugnantes fabulas consociaturus fuerit, in eo ipso loco deprehendere mihi videor, ubi Hectorem cum Aenea somnii imagine loquentem facit. Nam in atrio regiae iuxta Vestae focum et publicos penates commorantem sibi videri Aeneam manifeste demonstrant v. 296. sq., ubi Hector discessurus „manibus vittas Vestamque potentem aeternumque adytis effert penetralibus ignem.“ Quid igitur, si somno divinasse, quod post eventurum esset, Aeneam fingere voluit? quid si regia capta et incensa per medios hostes et ignes divinitus abrepta et in Anchisae penetralia servata narraturus erat? At — manum de tabula, ne Virgilii argumenta refingentes, quasi quendam Peliam funesto aheno sacri carminis, ut illae, obliti frustra recoquere videamur. — Eam certe medicinam non admittit, quem Heynius ex fabuloso illo nugatore Dictye (IV, 17.) comparabat. Exc. ad Lib. II, Aen. IX. Tamenetsi enim

Aeneae quasi cuidam Troiae pontifici maximo sacrorum curam mandatam esse poneremus, tamen ne sic quidem penates eius Priami et regiae, qui soli publici et communes esse poterant, fuerunt, et quod publicos sibi commissos deseruisset, vitio potius quam laudi dandum fuisset.

Cap. 10.

Capitis 8. *argumentum continuatur.*

Formam autem antiqui templi, qualem sibi animo finxerit, si cui cum profanarum aedium atrio consociare difficile videatur, is templorum totam aliquam speciem, quae Tuscanica vocabatur, atrii imitatione natam esse meminerit. Media enim pars et penetral domus Dei cella, sive aedes, quae proprie dicebatur, facta est, alae utrinque columnis per intervalla dispositis porticus templi, eaedemque semper a l a e appellatae. Vid. enim Becker. Gallo, T. I, p. 85. coll. Vitruv. IV, 7: „Ternae partes dextra ac sinistra cellis minoribus sive ibi alae futurae sint, dentur, reliquae quatuor mediae aedi attribuantur.“ Nec quod rotunda fuit Vestae aedes quidquam officit. Nam quum semel usu receptum esset, ut penetralia domuum rebus divinis destinata ab atrii notione non separarentur, mutata aliquatenus forma vetus nomen haesit. Neque enim aliter factum est, ut aliorum etiam numinum templa atria appellarentur. Quae si quid inter se commune haberent, qua causa a reliquis eo nomine discernerentur, hoc fuisse existimo, quod ut atrium cellas, sic circumiacentia haberent aedificia privatis vel certe minus sacris usibus destinata, ut atrium Libertatis, in quo bibliotheca publica.

Cap. 11.

Num Penates publici in Vestae aede culti fuerint.

Illud tamen imprimis admirandum et praeter omnem exspectationem legentibus accidat, quod accuratius investiganti eorum ipsorum penatium, qui toties simul cum

igni sacro commemorantur, nulla simulacra in templo Vestae culta esse fatendum est. Quamquam enim hoc suadere et paene iubere videtur penetralium significatio, et sacra in reconditiore quodam sacrario condita (Fest. p. 216 s. v. Penetrale sacrificium dicitur, quod interiore parte sacrarii conficitur), quamquam praeterea in aliis civitatibus utrorumque numinum paene semper communis perhibetur cultus — sic Lavinii (cf. Macrob. II, 4. Interp. ad Virg. Aen. II, 295 et Serv. Fuld. ad III, 12 infra cap. 19. exscriptos) et in ea, quam Virgilius sibi finxit, Troja (v. supr. c. 9.) — vicit tamen illa mentis Romanae subtilis indoles, qua omnia accurate distinguere, et coniuncta publica sanctione sacra, iterum pro numinis varia natura dividere et quodammodo dissecare studuit. Etenim nusquam si quaeris, Romae in Vestae templo Penates servatos aut cultos esse traditur. Qui enim de ea re loquuntur, omnes aut in universum sola s a c r a nescio quae commemorant, de quibus mox dicturi sumus, aut ulla omnino simulacra ibi fuisse prorsus negant. Qua re Dionysius II, 66: *εἰσὶ δέ τινες* — alii igitur negant — *οἵ φασιν ἔξω τοῦ πυρὸς ἀπόῤῥητα τοῖς πολλοῖς ἱ ε ρ ὰ κεῖσθαί τινα ἐν τῷ τεμένει τῆς θεᾶς, ὧν οἵ τε ἱεροφάνται τὴν γνῶσιν ἔχουσι καὶ αἱ παρθένοι.* Iam vero, ubi ad fidem firmandam ei rei historiam Metelli narrat, qui primo Punico bello sacra ex incendio servasset iterum nihil nisi: *ὅς τὰ λειφθέντα* inquit *ὑπὸ τῶν παρθένων ἁρπάσας ἱ ε ρ ὰ διέσωσεν ἐκ τοῦ πυρός.* Neque aliter Plutarch. Cam. 20, ubi in Gallico tumultu servata a L. Albino sacra tradit, aut Valer. Max. I, 1, 10, aut Ovidius, qui quamvis Fast. VI, 365. Iliacae pignora Vestae et v. 445 p i g n o r a - f a t a l i a eadem appellat, tamen alia quam „Palladem et ignem" fuisse sacra negare et ipse videtur coll. Fast. VI, 291. 423. 434. III, 425. Item Livius V, 40. sola s a c r a, nec XXVI, 27 aliud signum commemorat quam „Palladium, conditum in penetrali fatale pignus imperii Romani." Huc Augustini locum retulerim C. D. III, 18, quem, quia mendosus vulgo legitur, totum hic pono. Nam de eodem incen-

dio loquutus: „Cuius impetu“, ait, „virgines sacra illa fatalia, quae iam tres presserant civitates, cum ab illo incendio liberari non possent, Metellus pontifex suae quodammodo salutis oblitus irruens ea semiustulatus abripuit. Neque enim vel ipsum ignis agnovit; Aut vero erat ibi numen quod non etiam si fuisset, fugisset.“ Ubi novissima verba ut nunc leguntur corrupta et sensu carentia transpositione vocabulorum levique unius mutatione facilia reddas et plana. Sic enim repone: „Neque enim vel ipsum (int. numen) ignis agnovit, aut non verum ibi erat numen, quod etiamsi fuisset, fugisset“. Aut enim Augustinus significat eorum opinionem, qui nulla simulacra nec nisi dolia vacua in templo inventa esse narrabant, aut in universum illud verum numen esse potuisse negat, quod ipsum se iuvare non potuisset. Solus Tacitus contra afferri possit; qui Annal. XV, 41, in Neroniano incendio: „Numae“, inquit, „regia et delubrum Vestae cum Penatibus Populi Romani exusta“. Verum huic obstat templi commemoratio, quod Penatibus singulatim in Velia dedicatum fuisse testimonia omni suspicione maiora evincunt. Inter quae Marmor Ancyranum, Livius praeterea XLV, 16, et si tanti est, Solin. 2. E. De quibus et de templi situ et natura infra cap. 20. pluribus dicendum erit. Hoc illis Diis, tamquam alterum Urbis penetral, separato a Vestae cultu constitutum. Itaque quamvis de hac ipsa, quam diximus Penatium aede Taciti locum cum Heynio (Exc. IX. ad Virg. Aen. II.) interpetrari nec possimus nec velimus, tamen nihil eo demonstrari aio, nisi penetralia illa, quamvis Penatibus iis, qui proprie dicebantur, non dedicata, Penatibus omnino carere non potuisse. Hoc etiam Dionysius videtur indicare, qui hoc loco caeteris cautior quaedam Troianorum sacrorum (ἐκ τῶν ἐν Σαμοθράκῃ ἱερῶν μοιρὰν II, 66.) in Vestae sacrario condita esse ait. Ac primum quidem Vesta ipsa, si ulla, penetralis Dea. Hanc diserte penatibus adnumeratam esse videbimus. Neque tamen haec ulla sub effigie culta, puram enim

ignis naturam fuisse consentientes affirmant probi auctores omnes, ut Ovid. Fast. VI, 291:

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam
Nataque de flamma corpora nulla vides.
Esse diu stultus Vestae simulacra putavi:
Mox didici curvo nulla subesse tholo.
Ignis inexstinctus templo celatur in illo
Effigiem nullam Vesta, nec ignis habet. —

cui adde Dionys. Hal. l. l. Nec in intimo sacrario esse poterat. (cf. supra c. 8. in.) Focus enim, ut videtur, omnibus patuit, qui quidem puri accederent. Cf. enim Festum s. v. October equus supra c. 8. allatum et quos ibi citavimus alios. Dionys. II, 66: ἔνθα δὲ ἡμέρας μὲν οὐδεὶς ἀπείργεται τῶν βουλομένων εἰσιέναι. Reconditum contra penu certis solum quotannis diebus apertum profanis oculis remotum solis sacerdotibus adire concessum est. Cf. Festum s. v. penora supra allatum, Dionys. II, 66. Serv. ad Virg. A. II, 166.

Cap. 12.

De Palladio.

Atqui hic quidem Palladium illud servatum est, quod non solum coniunctum cum Vesta a plurimis commemoratur, verum etiam simul cum ea sub eodem tecto coli haud dubie pronuntiatur. Inter ἀπόῤῥητα ἱερὰ refert Dionys. I, 67: καὶ τὸ μεμυθευμένον Παλλάδιον ὅ φασι τὰς ἱερὰς φυλάττειν παρθένους ἐν ναῷ κείμενον Ἑστίας, ἔνθα καὶ τὸ ἀθάνατον διασώζεται πῦρ. II, 66. Plutarch. Cam. 20: ἄλλα δὲ τὰ ἐντὸς κρύπτονται πᾶσι πλὴν ταύταις ταῖς παρθένοις ἃς Ἑστιάδας ἐπονομάζουσι. Καὶ πλεῖστος μὲν λόγος κατεῖχε, τὸ Τρωϊκὸν ἐκεῖνο Παλλάδιον ἀποκεῖσθαι. Add. Ovid. Trist. III, 1, 30. VI, 428. et 434. Herodian. I, 45. V, 15. Hoc autem sive vera effigies Minervae, uti describit Procop. Bell. Goth. I, 13., sive rude quoddam et dedolatum lignum, quod priscorum temporum simplicitas tamquam verum numen coluit, inter penates id ipsum fuisse et alii et interp. Lion. ad Virg. Aen. V, 12. tradit. Cf. cap. 14.

Vestae autem naturam tam arte cum Pallade et ipsa virgine coniunctam fuisse, ut a quibusdam eadem haberetur, notum. Cf. Spanh. ad Call. h. Lavacr. Pall. v. 53. Qua re doctus Propertius, apud quem IV, 4, 45 Tarpeia Vestalis:

Palladis exstinctos si quis mirabitur ignes.

Cuius rei semina quaedam in Virgilii carmina transiisse videntur. Cui enim inspecto Aen. II, 296: „manibus vittas Vestamque potentem aeternumque adytis effert penetralibus ignem" — in mentem non venerit v. 164, ubi Ulixes et Diomedes Palladium rapientes: „virgineas ausi divae contingere vittas" dicuntur. Possis tamen, licet durius sit, vittas ad penates, quibus caput vittis velatum fingit Aen. III, 17, 4. referre et Vestam potentem aeternumque ignem per ἓν διὰ δυοῖν dictum accipere, aut denique Vestam, quamvis Romae non ita cultam, ipsam effigie expressam significari putandum est, quod cum eorum rationibus optime concinit, qui Vestam inter penates (vid. infr. c. 13. med.) recensentes, hos ipsos Magnos Deos, quos Etruscorum disciplinis obsequuti Velatos dicerent, crediderunt. Cf. Seneca Q. Nat. II, 41: Adhibitis in concilium Diis, quos superiores et involutos vocant. Müller. Etrusc. III, 4, 1. cf. infr. c. 13. Certe Virgilius ipso Palladii vel Palladis nomine nusquam eius inter sacra Aeneae meminit. Quod si in tanto scriptorum consensu eo magis admirandum videatur, quod omnem carminis materiam a servatis per Aeneam penatibus repetit, tamen quin de industria illam memoriam omiserit, ambigi nequit. Nam doctus poeta nec cum Homeri auctoritate, ex quo totus pendet, quique in omnium oribus erat, ita opposita fronte pugnare voluit, ut Doloniae argumento quod ipsum alibi sequitur (Aen. II, 163.) fidem prorsus detrectare videretur, nec iis obsequi potuit, qui ut Homeri carmina cum Romanis fabulis consociarent plura fuisse Palladia fingerent. Sic Schol. Veronens. ad Virg. Aen. II, 165; sic Callistratus, Satyrus ap. Dionys. I, 68. Cf. eund. infra II, 66.

Hoc enim commento omnis Palladii vis prorsus evertitur, quam eam esse volunt, ut imperii Troia Romam translati aeternum pignus videatur — sic enim audit ap. Liv. V, 32. XXVI, 27. Ovid. Fast. VI, 445. Quomodo vero illud pignus imperii fuerit, quod pro lubitu ad effigiem primae imaginis multiplicatum suum reddere cuique liceat? Qua re rectius vel certe prudentius illi, qui proficiscenti per Italiam Aeneae ultro id a Diomede oblatum esse narrabant. Alia excogitavit Aratinus ap. Dionys. I, 69. Sed utut haec se habent, quoniam non quo iure sed, quid omnino aut vulgi fabulis aut publica religione receptum Romani crediderint, disquirere nostrum est: hoc certum, ut inter recondita Vestae penetralibus sacra etiam Palladium fuisse paene consentientes existimaverint. Reliqua sacra quae ferebantur, non magis simulacra deorum, quam instrumenta et vasa quaedam obscuris fortasse sacrorum caerimoniis destinata fuisse, verisimile est. Hoc indicat Propertius IV, 1, 22:

Vesta coronatis pauper gaudebat asellis
Ducebant macrae vilia sacra boves.

Imagines enim aliorum deorum in Vestae honorem circumductos esse, vix credibile. Quocum facere videtur Plutarch. Cam. 20., qui subtiliorem rei doctrinam affectantes sacra ea dolia duo arbitratos esse, alterum plenum, alterum vacuum refert. Hos tamen fuerunt, qui deceptos arguerent doliis illis visis, quae non ipsa sacra, sed quibus sacra Gallico tumultu condita defossa essent. Assentiuntur Liv. V, 50. Fast. s. v. Doliola, quos iterum redarguit Varro L. L. V, 157. Müll., quum Doliolorum nomen et originem multo vetustiora Gallico tumultu doceat. Praeterea alias res antiquitatis memoria et obscuris viribus religiosas illic clausas fuisse iure meo coniicere mihi videor. Huc enim quin pertineat Gellii locus (N. A. IV, 6.) non dubito, qui S. C. M. Antonio A. Posthumio coss. commemorat hoc: QUOD C. JULIUS L. F. PONTIFEX NUNCIAVIT IN SACRARIO IN REGIA HASTAS MARTIAS MOVISSE, DE EA RE ISTA CENSUERUNT. Nam sacrarium illud aliud

quam Vestae penetral esse vix potuisse, ex iis, quae supra exposuimus (cap. 8—10.) apparet. Similiter fortasse Lavinii erat, ubi in Penatium aede, quorum religionem illic artius etiam quam Romae cum Vestae sacris coniunctam fuisse videbimus cap. 19, caduceos ferreos et aeneos, et fictilia Troica in penetralibus servari Timaeus narraverat Dionys. Hal. teste I, 67.

Cap. 13.

Qui publici Penates, in Velia culti, fuerint.

Verum ut ad eos reip. Penates, quibus templum proprium et cultus separatus concessus est, redeamus: omnes veteres, qui de his diis scripserunt, aut ab Etruscorum disciplinis suam doctrinam repetierunt, aut Graecis fabulis obsequuti ad Aeneam et originem Asianam rettulerunt, aut denique utramque rem consociare studuerunt. Quamquam qui prorsus Phrygias fabulas respueret, inter eos quidem scriptores, qui saeculum tulerunt, credo fuisse neminem. Ab illis autem partibus, quae patriis religionibus quum rei natura tum populorum perpetuo commercio propiores fuisse iure quis dicat, Nigidius prae ceteris stare se profitetur, quem iniuria, quasi ipse sibi non constet, Arnobius caecus antiquissimi cuiusque ritus insectator et molestus non raro atque adeo absurdus latrator iniuria accusat. Nigidius enim (apud Arnob. c. g. III, p. 123) si omnes penates quadripartita hac divisione complectitur, disciplinas Etruscas sequens „genera esse Penatium quatuor et esse ex his Jovis alios, alios Neptuni, inferorum tertios, mortalium hominum quartos“, omnes et superos et inferos et maritimos et aërios deos (hi enim sunt Lares cf. Lib. I, c. 4.) ut recensuerit, et hos in domum penetralibus coli atque penates haberi fas esse significaverit, et consentaneum est, et ex omnibus, quae huc usque disputavimus, sequitur. Cf. imprimis c. 4. et 6. Nequaquam vero hoc ex illius sententia concludendum quod Arnobius ipse fecisse videtur de industria turbas ciens, ut ii dii, quos inter pe-

nates coli ait, revera Populi Romani penates, h. e. Dii in urbis penetralibus culti tutelares Urbis et gentis fuerint, quatenus haec eiusdem originis esse et unam quodammodo familiam efficere crederetur. Hi enim qui fuerint, in cultu obscuro semperque profanis oculis remoto, vel doctissimus quisque Romanorum dubitabat. Vestam tamen quamvis separatis sacris cultam, inter eos fuisse ex his argumentis sponte sequitur; nam et de numero coelestium erat, et in penetralibus colebatur, ut disertis verbis traditur. Interp. Lion. ad V. A. II, 295, et Macrob. II, 4. Qui autem doctiores caeteris sibi videbantur, horum alii, Etruscos et ipsi sequuti, XII Consentes sive Complices eos esse credebant, de quibus Arnob. l. l. „Hos consentes et Complices Etrusci aiunt et nominant, quod una oriantur, et occidant una, sex mares totidem foeminas“ rell. Quem locum mire et paene ridicule vexavit Forcell. Lex. s. v., quasi Varro, qui modo Penatium numerum nesciri dixerat, quum statim numerum XII deorum adderet, egregie ipse secum dissideret. Alii qui Phrygiam gentis originem demonstrare vellent, Samothracios Magnos Deos a Dardano Troiam advectos docebant, quos Aeneas post excidium patriae profugus Latio intulisset. Sic Varro l. infra allato, Cassius Hemina ap. Serv. Aen. I, 378. Hoc autem argumentum praecipue persecutus est Virgilius, quem „penates et magnos Deos“ appellantem nota formula illam Penatium naturam indicare interpretes passim adnotarunt. Cf. ad Aen. I, 378. II, 325. III, 146. Add. Graecos Callistratum Satyrum Aratinum ap. Dionys. Hal. I, 68 sq. Atticus contra si eum dissensisse a Varrone interpreti Veronensi ad Virg. Aen. II, 717. fidem habemus, recta ex Samothracia in Italiam devectos Penates rettulit. Cf. supra de Aen. Penatt. c. 9 et 14. Alii denique, ut Caesius ap. Arnob. l. l. „quatuor, Fortunam et Cererem, Genium Jovialem, ac Palem“ quos omisso Genio Joviali etiam Serv. ad V. A. II, 325. commemorat, esse tradiderunt. Et hi quidem, qualescunque et quotquot sunt, Vesta excepta, cui singularis templi ho-

nos, certo sunt ii, qui Populi Romani penates κατ' ἐξοχὴν dicti in Penatium aede colebantur.

Cap. 14.

De aede Jovis Capitolini tertiis Urbis penetralibus.

Fuerunt porro, qui verum Urbis penetral et sanctissimam Deorum sedem arcem et Capitolium, vel certe a Tarquinio Prisco patriarum religionum studio tamquam caput Urbis institutum triaque numina in Jovis templo culta, Jovem ipsum O. M., Junonem, Minervam, addito a quibusdam quarto Mercurio, veros civitatis penates existimarent. Nam Arnobius l. l. „nec defuerunt", inquit, „qui scriberent, Jovem, Junonem ac Minervam Deos penates existere." Quo accuratior Serv. ad V. A. II, 295: „Eos autem esse Jovem, aethera medium Junonem, imum aera cum terra, summum aetheris cacumen, Minervam: quos Demarati Corinthii filius Samothraciis religionibus mystice imbutus uno templo et sub eodem tecto coniunxit. His addidit et Mercurium, sermonum deum." Hactenus, ut videtur, recte, quod, quum plura semel et diversa Urbis penetralia credita essent, super Penatium aedem in Velia et Vestae templum Capitolinum delubrum tertium illud penus putaretur, quod ex Etruria etiam Romanae genti et religionibus immixta quaedam semina et quodammodo elementa significaret. Hoc enim indicare mihi videntur foci illi, Penatium semper cultus inignia, qui teste Varrone (cf. c. 2.) iuxta aras in Capitolinorum Deorum sacris constituti erant. Hos enim etiam Varronem inter penates, qui quidem Romae colerentur, habuisse coll. Serv. ad V. A. III, 12 et cap. 19 fin. apparebit. Hos ipsos ut a Samothracibus repeterent, libenter arripuerunt Graecam Tarquinii originem. Cf. Serv. Fuld. ad Aen. l. l. Quo argumento ii non indigebant, qui aliter ac Varro non ex Arcadia oriundum Dardanum per Samothraciam Troiam petiise (cf. enim interp. Lion. ad Virg. Aen. III, 167.) sed ex ipsa Etruria in Samothraciam et Phrygiam venisse trade-

rent. Quos sequutus est ipse Virgilius A. III, 167. VII, 207. Qui tamen etiam Romae cultos penates ad Aeneam et Teucros referrent, constare sibi non potuerunt, siquidem secundum fabulam publica auctoritate receptam Aeneae penates ab antiquis sedibus Laviniensibus nusquam cessisse ferebantur, ita ut eo ipso loco constituta a P. R. sacra et sacerdotes nanciscerentur. De his autem quoniam infra acuratius dicemus, nunc hoc adnotasse satis videatur, ne eos quidem multum proficere, qui caeteris prudentiores contineri tantummodo illos Lavinios deos publicorum P. R. penatium numero, neque tamen solos eos penates esse traderent. Neque hoc non fecisse Nigidium, certum est, quem ubi apud Arnob. l. l. „Penates Deos Neptunum esse atque Apollinem prodidit, qui quondam muris Troicum Ilium conditione adiuncta cinxerunt“, Deos Lavinii cultos significare voluisse, infra apparebit. Iam vero ne quis obiiciat, duas has effigies — tot enim illic colebantur — veras Deorum, quas ipse Aeneas Troia Lavinium portavit, in hoc ipso oppido servatas semper remansisse illas quidem: caeterorum numinum, quae Romae colerentur, simulacra Troiae relicta et fortasse combusta, Romana vero ad pristinum exemplar expressa penates Romae facta esse: primum Aeneam ullos penates deseruisse nec traditur, et toti illius fabulae sententiae repugnat. Nam pignora imperii, qualia penates quoque dicuntur, nisi iidem essent, appellari non potuerunt. Tum vero etiam illud cum Deorum penatium natura pugnat, quae ea est, ut heriditario quodam iure traditi iisdem sub simulacris serventur. Nam ea re demum dii penates et patrii fiunt, quod in penetralibus culti sive privatis sive publicis eundem focum et eandem familiam tueantur. Neque aliter Minervam, Iunonem, Apollinem quemcunque alium deum meos penates dicere eosque aliis cuiuslibet penatibus opponere possum, quamvis ille forte eadem numina aliis tantummodo formis vel simillimis domi habeat.“ Hac contra natura sublata in communem cuiusque numinis vim dis-

solvuntur. Nam haec est antiquorum populorum simplicitas ut in simulacris Deorum non divini illius numinis naturam et ἰδέαν, sed ipsa simulacra tamquam integras veluti deorum personas colant. Quae fides ne a cultu quidem Sanctorum abfuit, quem inferiorum saeculorum superstitio in Christianorum vulgo procreavit. Nam apud hos etiam Maria Parisiensis Mariae Capitolinae, Sanctus Petrus in Vinculis Vaticano honores invidebat. Restat igitur, ut penates illos quos Roma templo in Velia sito coluit, Aeneae deberi crediderint, dissensum cum Laviniorum fabulis ita fortasse componere conantes, ut duos quidem non cessisse Lavinio, reliquos et Albam et Romam transmigrasse ponerent. Neque vero talium discriminum inventiones veterum ratione alienas esse, qui quidem cogitandi argutis artibus dissentientium fabularum lites solvere tentarent, iam supra et in palladio et in Acca Larentia animadvertimus.

Cap. 15.

De Laribus Aeneae et de Genio Joviali.

Tale quid vel eos commentos esse necesse est, qui Lares Aeneae (de quibus statim sermo erit) Lavinii et Albae remansisse traderent, ut Lucanus, qui Caesarem inter Troiae ruinas sacra facturum Deos sic appellantem facit, Pharsal. IX, 990:

Di cinerum
Aeneaeque mei, quos nunc Lavinia sedes
Servat et Alba Lares;

quamquam mirabilius etiam, quod addit:

et quorum lucet in aris
Ignis adhuc Phrygius, nullique adspecta virorum
Pallas, in abstruso pignus memorabile templo.

Nam hic vel in ipso Latio non solum diversos Lares, sed etiam tria Palladia finxit; nisi forte in universum novam et Italicam deorum sedem indicare voluit, quamvis — fatemur enim — nec vero accomodate nec concinne id fecerit. Nam Alba certe diu diruta iacebat. Cf. Prop. el. IV, 1, 33. Dionys. Hal. I, 66:

νῦν μὲν ἔρημός ἐστιν.

Itaque inter penates Aeneae etiam Lares eius domus fuisse, qui ut in regia, publici essent, tradiderunt. Hoc etiam Virgilius indicat, qui Aeneam (A. IX, 258.) Assaricique Larem et canae penetralia Vestae in Italiam tulisse docet, V. 743. Ascanium per „Pergameum Larem" iurantem et Penates cum Aenea, III, 167. sic interloquentes facit:

hinc Dardanus ortus
Jasiusque pater, genus a quo principe nostrum

nisi nostrum genus, genus quod tuemur h. e. Troianum interpretari malis. Hos autem revera etiam Populi Romani Lares credere debebant, qui, ut Varro, nisi Troianos veros Romanos non intelligerent. Nam hic Lavinium (de L. L. V. 144 Müll.) „oppidum" dicit, „quod primum conditum in Latio stirpis Romanae." Quoniam vero inter Aeneae avos et generis Deos coelestes Dii numerantur, vix ambigere possis, quin ubi Martialis XI, 5:

Sacra Laresque Phrygum, quos Troiae maluit heres
Quam rapere arsuras Laomedontis opes

invocat, sequentibus versibus Junonis, Minervae, Jani commemoratio, nisi coniunctim voce „sacra" reliquos penates, qui non Lares essent, comprehendit, ad Larum appellationem referenda sit.

Sic demum cum nostris rationibus consociatur Nigidii sententia, qui (apud Arnob. III, p. 124.) „Lares modo Curetas illos, qui occultasse perhibentur Jovis aeribus aliquando vagitum, modo Digitos Samothracios ait fuisse, quos quinque indicant Graeci Idaeos dactylos nuncupari." Nam eorum Larum genus, de quibus prioribus duobus libris egimus, intelligere eum nullo modo potuisse patet. Sic denique Genii Jovialis, quem inter Penates publicos cultum esse, quidam voluerunt (Caesius ap. Arnob. l. supra c. cap. 13.). Nam Genius Jovialis esse non potest nisi geniti et nati cuiusdam Jovis diva anima (Cf. L. I, c. 8.), non eius, qui semper

fuit. Jam vero videmus Jovem Jndigetem, Aeneam ipsum coelestibus additum. Liv. I, 2. Dionys. Hal. I, 64: ubi vocabulum χθόνιος, quo Indiges graece redditur, quam apte in Larum religionem quadret, L. I. c. 2. comparatio doceat. Add. Tibull, II, 5, 43. Serv. ad Virg. Ge. I, 498. Schol. Veron. ad Virg. Aen. I, 260. Huius igitur Genius et recte Jovialis dicitur, et inter ipsius Aeneae Lares et Penates eodem modo colitur, quo in privatis aedibus semper domini Genium cum Laribus et Penatibus in foco et penetralibus cultum esse docuimus. Quapropter recte eorum temporum ratione habita, quibus inter mortales Aeneas versabatur, Genius dictus, rursus autem recte Laribus a superstite gente adscriptus et inter Penates cultus, ut defuncti iam pridem herois diva anima.

Cap. 16.

De Larum aede sub Velia sita, Anci, Tarquiniorum regia, domo Valerii Poplicolae regum sacrificorum.

Iam vero prorsus perturbari et corrui videantur, quae de Laribus praestitibus, Romuli Remique divis Geniis tam magnis ambagibus edisseruimus. Nam si Lares inter penetrales Deos commemorantur, si ipsi hi Lares Dii coelestes, et Idaei Dactyti fuerunt, geminum regum primorum par fuisse ut non potuerint, efficitur. Audio. Sed iterum mihi provocandum est ad illud Romanae gentis tam proprium et peculiare ingenium, quo naturas rei uniuscuiusque diversas cogitandi rationibus acute distinguere et dissolvere quodammodo viderentur. Quo factum esse vidimus, ut in religionibus sacra primum quidem colligerent, et dignitate publica augerent, collecta autem rursus secundum diversas numinis vires et facultates seiungerent. Itaque non modo Vestam a Penatibus discreverunt, sed hos ipsos iterum in Lares et Penates proprie dictos diviserunt. Hoc autem diligenter observare imprimis operae pretium videatur, quum in Penatibus, quibus Aeneae Lares adnumeratos esse

vidimus, originem Romanae gentis Pelasgam et Asianam spectarent et colerent, eosdem in Praestitibus duplicem illam quidem populi naturam sed vere Ausoniam et Italicam significare voluisse. Hi enim sunt illi Larentia nati, quibus Mavors, Ausonium numen, pater, quibus Martia lupa ubera praebuit, quos picus, silvestris et pugnax avis nutrivit, qui adulti Urbem gentemque condiderunt, viri auxerunt, post mortem pii Genii non modo regiae domus, sed totius civitatis propitii a gratis nepotibus culti sunt. At quum ob id ipsum in regia quondam veteri Romana coli debuisse, ex iis, quae hucusque disputavimus, facili opera quis colligat, iam quod a Numae domo et Vestae atrio separatos et nescio quo obscuro Romae sacello cultos eos videat, ne quis nostris raciocinationibus diffidat, somniaque adeo illa vanasque hallucinationes existimet, procurandum est. At, bona verba, quaeso, et si placet manum parumper contine, quo accuratius haec nobiscum consideres, quae a parte multum huic diversa orsi et longe alio quo tendentes certis, ut nobis quidem videtur, causis in huius loci commodum adepti sumus. Etenim quum alius argumenti gratia, quod sub calcem harum disquisitionum retractat[illegible]mus apud Plinium Hist. Nat. XXXIV, 13 hoc leg[illegible]s: „E diverso Annius Fetialis (sc. tradit statuam) equestrem, quae fuerit contra Jovis Statoris aedem in vestibulo Superbi domus, Valeriae fuisse Publicolae consulis filiae", quum autem hoc legeremus, et in loco statuae contra Jovis Statoris positae omnes autores consentire animadverteremus, et qui Valeriae et qui Cloeliae eam fuisse traderent — Cf. enim Liv. II, 13 fin. Plut. Publ. 19. Dion. Hal. V, 35, quorum tamen nemo ipse eam vidit, ut pote iam ante Dionysii aetatem aedibus circum igne consumptis — mirari nos subiit, quid tandem Romanae libertatis vindex et custos Valerius, quid filia eius animosa cum expulso tyranno commercii habuerit, ut Annius, auctor probus et antiquus, Valeriae signum in istius vestibulo positum esse affirmaret. Verum accuratius inspecto loco,

auditisque quos supra citavimus testibus, revocatis denique ante mentis quodammodo aciem Romani fori, quales post tantas saeculorum ruinas refingere peregrino et absenti licet, qualesque nobis semper ob oculos versati sunt, finibus et situ: Superbi domus, si tamen contra Jovis Statoris aedem posita fuisset „in summa sacra via ad Palatium tendentibus“, eam ipsam domum fuisse, cuius aream, „in infimo clivo Palatino sub Velia situm Populus Romanus post dirutas in summa Velia aedes civibus suspectas dedisset, apparuit. Sic enim eius domus situm describunt Livius II, 7. Dionys. Hal. V, 19. Plut. Publ. 10. Varro ap. Ascon. ad Cic. Pis. 22. A quibus unus Declamator de harusp. responsis 8, 16. dissentire videtur, qui ob id ipsum, nisi iam convictus esset, *νοθείας* arguendus contra legitimum dicendi usum non satis accurate „in Velia“ pro „ad Veliam“ vel „infra Veliam“ scribit; unde error natus a viris doctis ad unum omnibus ita propagatus, ut „in Velia“ et „sub Velia“ s. „infra Veliam“ eandem esse regionem crederent, quum Livius hoc nomine utrumque locum discernat, ut altiorem, ubi prius Valerius aedificaverat, „in summa Velia“, alterum „infra Veliam“ appellet, Dionysius autem priorem locum imminentem foro (*ὑπερκείμενον τῆς ἀγορᾶς ὑψηλὸν ἐπιεικῶς καὶ περίτομον ὃν καλοῦσιν Ἐλίαν*) dicat (cui consentiens Plutarchus: *Καὶ γὰρ ὄντως Οὐ. ᾤκει τραγικώτερον, ἐπὶ τὴν καλουμένην Οὐελίαν, οἰκίαν ἐπικρεμαμένην τῇ ἀγορᾷ, καὶ καθορῶσαν ἐξ ὕψους ἅπαντα δυσπρόσοδον*), alterum autem subiectum colli ita describat, ut pro concione Publicolam dicentem faciat, iam populo deorsum lapidibus petere se, si quid commissurus videatur, licere. Cf. praeterea infr. cap. 18. Nec certe Valerius ubi vellet aedificare potuit, nec populus ei aream concedere nisi loco publico — publicas autem aedes datas Varro l. l. ait, quales pulsis regibus Tarquiniorum domus et agri facta sunt (cf. Liv. II, 5. Dionys. V, 13.). Hinc autem non levis calculus accedere videatur egregiae summi Niebuhrii coniecturae, qui (H.

R. I, p. 561.) post exactos reges regiamque deinde stirpem reipublicae curam supremam non statim populi indiscreto arbitrio permissam, sed primum in Valeriam gentem veluti hereditario quodam iure transiisse divinavit. Non modo enim regios honores alios permultos illi genti servatos sed regias aedes ipsas domicilio traditas esse videmus. Qua in re aegre paene ferimus, quod Niebuhrium ab altera parte tam eximie nobis faventem ab altera adversarium nanciscimur. Nam longe aliter atque illum (in adumbratione fori Romani, apud Bunsen. rell. Descript. Rom. T. III, I. p. 64.) eius regionis fines describere nos patet.

Cap. 17.

Continuatur caput proximum. Descriptio Summae Sacrae Viae et regionis circa Veliam.

Sacram enim Viam iuxta Palatinum montem et Veliam versus Capitolium a dextra sive orientali fori parte tetendisse censemus, ita ut ipsam summam Veliam foro a meridie imminentem, ascensu acclivi ab oriente tangeret. Hanc Summam Sacram Viam dictam, quae si editum Veliae collem ab occasu ipsi imminentem respexeris, recte sub Velia dicatur. Qua cum sententia, quamvis alibi dissentiat, consentientem habemus Bunsenium. Nam recte ille quidem Summam Sacram Viam et Summam Veliam probe discernendas esse monet (l. l. p. 81.) attigisse tamen eam et super partem eius collis tetendisse p. sq. ipse ait. Iam vero, quamquam Asconius ad Cic. Pis. 22. L. Hygino teste in libro priore de viris claris Varronem tradere refert, „M. Valerio, quia saepius vicerat, aedes in Palatio tributas, et P. Valerio Volesi filio Poplicolae aedes publicas sub Velia, ubi nunc Aedes Victoriae est, populum ex lege, quam ipse tulerat, concessisse“: non tamen idcirco Bunsenius Livii sanum locum (II, 7.) coniectura tentare debebat — quamquam eam ipsum iam improbare video in addendis T. III, p. 657. — Livius enim ae-

dem Vicae Potae esse ait, ubi domus olim Valerii fuerit. Atqui Plutarchi (l. l.) optimi codd. mss. *Οὐϊκᾶς Ποκᾶς* exhibent, unde proclivum est *Ποτᾶς* restituere, et, quod maius est, Vica Pota Victoriae ipsius antiquum nomen, Vincendi et Potiendi Dea. Cf. enim Cic. Legg. II, 11. Hinc sponte quodammodo nascitur ea huius loci descriptio, ut ubi clivus sacer circumacto circum Veliam limite ex Palatino iugo descendens Summam Sacram viam attingebat, ibi esset Mugonia porta sive vetus porta Palatii cum templo Jovis Statoris, ex adverso autem regia Tarquinii Superbi. Huc enim necessario ducunt Liv. I, 12: „Ut Hostius cecidit, confestim Romana inclinatur acies, fusaque est ad veterem portam Palatii.“ Hic deinde Jovis Statoris templum votum a Romulo. — Dionys. Halic. II, 50: *„Ῥώμυλος μὲν ὀρθωσίῳ Διῒ ἱερὸν ἱδρύσατο παρὰ ταῖς καλουμέναις Μυκωνίσι πύλαις, αἳ φέρουσιν εἰς τὸ Παλάτιον ἐκ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ.“* Mucionis portam Varro L. L. V, §. 164. Müll. appellat, idemque Mugionis ap. Non. XII, 51. Mugioniam Fest. s. v. et Solin. II, s. med. His adde Plin. XXXIV, 13 secundum Annium Fetialem. Ibidem autem quod Solinus l. l. Tarquinium Priscum habitasse refert his verbis: „Tarquinius Priscus ad Mugioniam portam, supra summam novam viam“ primum id sequitur, ut Tarquinii Prisci et Superbi eadem regia fuerit, nec Solinus, quum Superbo alteram solum in Esquilino assignaret, aliud egerit, quam ut singulis regibus singula domicilia tribueret, deinde vero etiam si Varron. l. l. V, §. 164. contuleris, qui Mugoniam portam consentientibus Dion. Hal. II, 50. Plutarch. Cic. c. 16. ad summam sacram viam, contra Romanulam ad novam viam spectasse tradit, necessario efficitur, ut hae duae portae finitimae et ante coniunctae fuerint, fortasse in formam Jani Quadrifrontis, Nova autem via (quod iam Bunsen. vidit l. l. p. 80.) cum sacra ibidem trivium faceret, in cuius angulo domus Tarquiniorum sita esset, ita ut qui e nova via surgeret, transgressus sacram viam per portam Ro-

manulam clivum super Veliam ipsam scalis ascenderet. Cum quo ita dissentit Festus s. v. Romanam portam p. 222. Lindem., ut nisi nostram rationem adoptaveris sed Niebuhrii auctoritati obsecutus Veliam et Sacram viam in oppositis Palatii partibus sitas fuisse credideris, cum superioribus testimoniis nisi turbatis et mixtis omnibus prorsus consociari non possit. Hic enim non Mugoniam sed Romanulam ad clivum Victoriae esse refert: „Sed porta Romana instituta est a Romulo infimo clivo Victoriae, qui locus gradibus in quadram formatus est. appellata autem Romana a Sabinis, quod ea proximus aditus erat Romam. Itaque eadem domus recte in infimo clivo, in summa sacra via, supra novam viam et sub Velia fuisse dicitur. Eandem autem hanc Valerii fuisse vidimus, quod egregie affirmat Livius, qui in infimo clivo eam aedificatam esse ait. Neque alium locum significat Varro L. L. V, §. 47. Müll. ea Sacrae viae parte, quae est a foro eunti primore clivo. Sunt enim haec eius verba: „Huic iunctae Carinae et inter eas quem locum Ceroliensem appellatum apparet, quod primae regionis quartum sacrarium scriptum sic est:

Ceroliensis, quarticeps. circa Minervium, qua e Caelio monte iter in Tabernola est.

Ceroliensis a Carinarum iunctu dictus. Carinae, postea Cerolia, quod" — tuetur enim hanc particulam Müller. contra Bunsen. — „hinc oritur caput Sacrae viae ab Streniae sacello, quae pertinet in arcem, qua sacra quotquot mensibus feruntur in Arcem, et per quam Augures ex Arce profecti solent inaugurare. Huius Sacrae viae pars haec sola volgo nota, quae est a foro eunti primore clivo." Neque enim refert, sic an quod Bunsen. l. l. iubet T. I, p. 693. „proxima sacro clivo" legamus. Nam in libro Florent. est „proximo-ro" unde fortasse restituendum „proxima primori clivo". De industria autem hunc locum exscripsimus, quod, ut ipse a Livio lucem accipit, sic versa vice Festum illustrat, omnisque illius regionis naturam et situm ut

accuratius nobis describere liceat, efficit. Nam Festus p. 238. Lindem. „Sacram Viam quidam appellatam esse existimant, quod in ea foedus ictum sit inter Romulum et Tatium; quidam quod eo itinere utantur sacerdotes idulium sacrorum conficiendorum causa; itaque ne eatenus quidem, ut vulgus opinatur, sacra appellanda est a regia ad domum Regis sacrificuli, sed etiam a Regis domo ad sacellum Streniae, et rursus a Regia usque in Arcem.“ His enim locis compositis apparebit id quod etiam Bunsenius perspexit, domum regis sacrificuli positam fuisse in infimo clivo sacro h. e. ad portam Mugoniam, in Summa Sacra via sub Velia. Qui quum idem demonstret, quod mox aliis etiam argumentis confirmabimus, Vestae templum et Regiam propius (proxime dixerim) Capitolium sita fuisse, collato Dione (LIV, 27.), qui de Augusto Pontifice max. facto: *οὐτ᾽ οἰκίαν τινὰ δημοσίαν ἔλαβεν ἀλλὰ μέρος τι τῆς ἑαυτοῦ, ὅτι, τὸν ἀρχιέρεων ἐν κοινῷ πάντως οἰκεῖν ἐχρῆν, ἐδήμωσε. τὴν μέντοι τοῦ βασιλέως τῶν ἱερῶν ταῖς ἀειπαρθένοις ἔδωκεν, ἐπειδή ὁμότοιχος ταῖς οἰκήσεσιν αὐτῶν ἦν.* — colligere debebat, nullum omnino inter Vestae templum et portam Mugoniam locum interesse potuisse, qui domus illas singillatim commemoratas, si diversae inter se fuissent, cepisset. Itaque et Tarquiniorum et Valerii et sacrificuli regis aedes eaedem fuissent necesse esse. Sed falso accipi et vulgo et a Bunsenio hunc locum certum est. Primum enim ea coniectura opus esset, ut Augustus Pontifex, Regiae, quae proprie ipsius esset domus, Regi sacrificulo concessa, tum demum huius domum Vestalibus tradidisset. Cuius rei apud Dionem nulla mentio. Quod autem potissimum est: si contermina vel adeo contigua (*ὁμότοιχος*) illi domui fuisset Vestae aedes, quo tandem modo Verrius Flaccus (Fest. l. l.) sacram viam, quae vulgo dicatur, a domo regis sacrificuli ad Regiam pertinere dicere posset? Quomodo porro Livius a porta Mugonia (ubi sacrificuli regis domum esse vidimus) usque ad Vestae repulsos a Sabinis Romanos narraret, nisi spa-

tium inter utramque satis magnum pateret? Qui denique duobus aedificiis totum fori latus expleri dicamus? Nam Vestae templum sub ipsius Capitolii radicibus et infimo clivo Capitolino situm fuisse nobis quidem constat. Hic enim Castoris templum et Iuturnae fons (cf. Cic. N. D. III, S. Lactant. Div. Inst. I, 10. Dion. Hal. VI, 13. Ovid. Fast. II, 706. Liv. I, 26. Prop. III, 22 et quae ad eius loci interpretationem Germanicam adnotavimus) cui finitima ex adverso Curia Hostilia (cf. ad Prop. IV, 4, 1. IV, 1, 21. coll. IV, 4, 13.) Iuxta quam in capite fori carcer Tullianus (Hinc Plut. Cic. 22. Cicero a Paladio veniens *διὰ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ καὶ τῆς ἀγορᾶς μέσης* progreditur. *Διελθὼν δὲ τὴν ἀγορὰν καὶ γενόμενος πρὸς τὸ δεσμωτήριον*). Quid igitur? Dionem errasse, librosque, unde suam doctrinam hauriret, veteris loci faciei sub imperio Caesarum valde mutatae ignarum ipsum falso interpretatum Pontificii nomen cum rege Sacrificulo confudisse dicamus? Cogeremur tamen inviti, nisi homini sobrio et sedulo antiquitatis investigatori commodum succurreret Servius ad Aen. VIII, 363: qui cum „domus enim“ inquit „in qua Pontifex habitat, regia dicitur, quod in ea rex sacrificulus habitare consuesset.“ — tantum abest, ut emendatione indigeat, ut antiquissimis temporibus indiscreta Pontificis et Regis sacrorum munera fuisse hinc doceamur, donec re Romana domi et foris aucta Pontifex summus reipublicae sacerdos institutus pauca solum modo et exigua sacra Regi reliquisset. Quod ut ipsa augusta Regis appellatio indicare possit, ita Regia, qua ille Pontifici cessit, nomen retinuit, ut antiqua Regis sacrifici sedes. Qua re optime Dio veterum historiarum minime rudis, Augustum Pontificem M. postquam ipse in palatio domus suae partem inauguravisset, suam domum h. e. Regiam *τὴν τοῦ βασίλεως τῶν ἱερῶν οἴκησιν* contiguam Vestae Virginibus donasse. Itaque totum Sacrae Viae cursum, quantum quidem ad nostram causam pertinet certis, quam fieri licet, limitibus definiemus, adiecta tamen tabula, unde clarius quibus rebus a priorum viro-

rum doctorum descriptionibus dissentiamus, perspiciatur. Quod si etiam aliorum locorum situm quum ipsius fori tum foro proximorum, longe aliter, atque hucusque factum est, constituere sumus conati, causis breviter in margine notatis ampliorem expositionem tempori commodiori et otio reservavimus, nunc satis fecisse nos rati, si nostra locorum illorum adumbratio testimoniis veterum scriptorum non repugnare doctis videretur. Ab Arce igitur et Capitolio Sacra via versus orientem descendit usque ad Castoris aedem, Juturnam, Regiam et Vestam, Curia Hostilia ex adverso opposita. Hinc dextrorsum et fere meridiem versus flexa forum transit rursusque paululum assurgens Veliam tangit cum clivo portae Romanulae et Via Nova trivium efficiens. Inde a dextra antiqua Regum et Valerii domus, quae eadem Varronis et Verrii Flacci tempore Regis sacrifici domicilium, cum templo Victoriae, a sinistra Jovis Statoris aedes, circa eandem fere regionem, ubi nunc ecclesia S. S. Cosmae et Damiani est, cuius quodammodo vestibulum efficientes antiquos muros Romuli aedem quondam fuisse alii voluerunt, Bunsenius Penatium templum existimat (l. l. T. III, p. 85.) Iuxta utramque dextrorsum porta Mugonia cum clivo sacro et Victoriae fano in Palatium ducit. Inde iterum proclivis ad Carinas et Streniae sacellum tendit. Hic caput Sacrae Viae. — Iam vero omnia optime coeunt veterum testimonia, quae ab interpretibus olim vexata illos ipsos invicem vexarunt. Nam et Ovidius Tristium suorum librum III, ut Romam et Augustam domum facit (eleg. 1. init.):

Haec sunt fora Caesaris, inquit,
Haec est a sacris quae via nomen habet.
Hic locus est Vestae, quae Pallada servat et ignem:
Hic fuit antiqui regia parva Numae
Inde petens dextram, Porta est, ait, ista Palati,
Hic Stator; hoc primum condita Roma loco.

iterumque ille:

Tempus idem Stator aedis habet, quam Romulus olim.
Ante Palatini condidit ora iugi.

et Martialis I, 71, librum suum alloquens:

Quaeris iter? dicam. vicinum Castora canae
Transibis Vestae, Virgineamque domum.
Inde sacro veneranda petes palatia clivo.

Quacum descriptione alius Solini locus tantum abest, ut pugnet, ut imprimis eam fulciat, idque quod de Laribus publicis praestitibus in universum diximus, extra omnem dubitationem ponat. Etenim ille, testes sine dubio antiquos, quamvis a se non intellectos secutus Ancum Marcium habitasse ait in summa sacra via, ubi aedes Larium est, eamque ibi aedem fuisse monumentum omni suspicione maius, Ancyranum marmor, affirmat. Quid igitur? Antiqua regia Anci Tarquiniorumque Prisci et Superbi primum in heredes regni Valerios cessit, hinc ad populum summa rerum relata ei data est, qui et sacerdotalem regni potestatem et regis ipsius nomen servavit, regi sacrificulo. Cuius memoriae quamvis tenuia vestigia legere mihi videor in verbis Servii grammatici, qui ad V. A. VIII, 646 haec adnotat in Tarquinium Superbum: „Eiectum: atqui poterat suscipi et occidi. Sed ideo non est susceptus, quia occidi non poterat religione prohibente. Rex enim sacrorum fuerat.“ In huius atrio, alterius Romanae quondam regiae alteris penetralibus, focus civitatis publicus, hic Lares gentis tutela, eamque ipsam ob causam sacerdotii summi successori curae commissi. Hoc autem templum, quin idem sit atrium regium, quod Livius belli Punici secundi tempore consumptum igne XXVI, 27, restitutum XXVII, 11 narrat, nullus dubito. Nam ab argentariis utroque versus circum privata quae foro adiacerent aedificia grassatum esse incendium tradit; hac forum piscatorium hac atrium regium comprehensum. Nam de atrio Vestae sive Regiae, quam proprie dicebant, quominus accipiatur, ipse Livius impedit, qui haec addit: Aedes Vestae vix defensa est. Nec profecto aliter atrium regium, etiamsi omnis regionis notitia abesset, quam regis atrium intelligi posse patet. Atqui nisi sacrificulum nullum Roma regem agnovit.

Cap. 18.

Continuatur cap. 16. *Dionysii Halicarnassensis error quidam refutatur.*

Jam vero vide sis, quam egregie his concinat Dionysii locus, qui dummodo a festinante manum coniectura retineas, Larum sacellum I, 68 ita describit, ut loci situs, qualem nos supra definivimus clarius etiam elucescat: *νεὼς ἐν Ῥώμῃ δείκνυται τῆς ἀγορᾶς οὐ πρόσω, κατὰ τὴν ἐπὶ Καρινὰς φέρουσαν ἐπιτόμιον ὁδὸν ὑπεροχῇ σκοτεινὸς ἱδρυμένος οὐ μέγας· λέγεται δὲ κατὰ τὴν ἐπιχώριον γλῶτταν Ὑπελαίαις τὸ χωρίον.* Nam quod Penatium non Larum templum hic significari a Dionysio quis obiecerit: nihil curamus. Primum enim Sacrae viae descriptio a foro in Carinas tendentis iuxta Varronis locum modo allatum satis perspicua. In hac autem Marmor Ancyranum cum locis supra citatis docent Larum non Penatium, qui quidem proprie dicebantur, sacellum fuisse. Nam illic utrumque probe discernitur: „AEDEM LARVM IN SVMMA SACRA VIA. AEDEM DEVM PENATIVM IN VELIA". Deinde deorum apud Dionysium numerus et habitus plane idem est, quem Larum proprium esse vidimus: *νεανίαι δύο καθήμενοι δόρατα διειληφότες.* Denique alia in veteribus sacellis multa horum Deorum simulacra vidisse se Dionysius narrat, in omnibus autem fuisse duos iuvenes militari habitu h. e. cinctu Gabino. Quos quis est, quin superiorum locorum comparatione Libr. I, c. 17 Lares illos compitales esse affirmet. Nam Penatium Troicorum plura sacella atque adeo multa fuisse nusquam comperimus. At, ne amplius de hac utrorumque numinum confusione dubites, ipse Dionysius cap. 69. Aratini, Callistrati, Satyri auctoritatibus obsecutus mutata priore sententia Penates ab Aenea Romam allatos magnorum Deorum imagines fuisse ait, quos Graecorum maxime Samothraces colerent, quos tamen plures duobus fuisse Varro auctor est L. L. V, 144. At ne ipse quidem, candidus homo suam do-

etrinam, tamquam sola vera sit, venditant et in re obscura profanisque interdicta errare se potuisse concedit atque erroris illius veniam velut ius quoddam sibi postulat: ἐγὼ δὲ ὅσα μὲν ὁρᾷν ἅπασιν οὐ θέμις, οὔτε παρὰ τῶν ὁρώντων ἀκούειν, οὐδ᾽ ἂν ἐπιγράφειν οἴομαι δεῖν· νεμεσῶ δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις, ὅσοι πλείω τῶν συγχωρουμένων ὑπὸ νόμου ζητεῖν ἢ γινώσκειν ἀξιοῦσιν· Ἃ δὲ αὐτός τε ἰδὼν ἐπίσταμαι κ. τ. λ. — Nec quidquam nobis officere potest inscriptio, quam in templo legisse se Dionysius ait: ΔΕΝΑΣ. In hac enim voce Stephani exemplar sequi tutissimum habui. Nam ex reliquorum codd. mss. variis stribliginibus sensum extricare nequaquam nobis contigit. Nam quod, ut hoc nomen cum Penatibus consociet, veteres pro Π littera Δ scripsisse quamvis timide nec, ut videtur, ullo exemplari fisus suspicatur — δοκεῖ γάρ μοι, τοῦ Π μήπω γράμματος εὑρημένου, τῷ δέλτα δηλοῦν τὴν ἐκείνου δύναμιν τοὺς παλαιούς —: hoc plane inauditum ne levissima quidem litterarum similitudine adiuvatur. Erroris autem suspicionem a rudi sculptore commissi tam brevis inscriptio, praesertim in publica Deorum sanctissimorum aede nequaquam admittit. Nec praeterea nominativus singularis aut in geminis Diis aptus, aut usquam alibi occurrit. Quinimmo totus singularis numerus nisi audaciore figura pro domo positus a poetis non invenitur. Quid? Si publice recepta haec nominis forma in publica Deorum aede oculis omnium proposita fuisset, doctine Romanorum grammatici dubitare potuissent, quanam ex comparatione defectivi vocabuli casus rectus singularis n. formandus esset. At illud fecisse eos videmus ap. Fest. p. 216 Lindem. „Penatis singulariter Labeo Antistius posse dici putat, quia pluraliter Penates dicantur, cum patiatur proportio etiam Penas dici" caett. — Errasse igitur in legendo nomine ipsum Dionysium certum est, et si in tali re coniecturam proferre modo ne violentiorem quam ipsius Dionysii licet, inscriptum fuisse effigierum crepidini DENAM suspicor, quod dum antiquo more a dextra sinistrorsum versus legas et D sive an-

tiquum graecum P sive prompta in vetustissimis Italorum monumentis confusione pro R positum (cf. enim Müller. de Etrusc. I, 7.), erit MANER, quae vox nulla re, nisi dialecti aut vetustatis discrimine ab usitata forma MANES distat. Quae inscriptio, quam egregie cum Larum Praestitum natura congruat, ex iis quae Libro I. Cap. 14. disputavimus, satis apparet. Nec obscurum esse amplius potest, quomodo Dionysius, qui a sinistra ad dextram verba legeret litterarum similitudine deceptus ΔΕΝΑΣ interpretari potuerit. Nam D latinum d credidit, literam M autem, quam in graecis inscriptionibus pervulgato usu Σ significare meminisset, pro S scriptam esse opinatus est. Hoc tamen semper mirum videatur, quod Dionysius Lares hos pro Aeneae penatibus habere potuerit, quamvis idem modo (c. 67.) ei fabulae fidem habuisset, ex qua Penates antiquam sedem mutari iussi Roma Lavinium sponte per noctem redierunt, nec revelli iterum se passi in ipso oppido Romanum cultum et sacerdotes nacti sunt. Qua re rectius Varro L. L. V, 144: Lavinios quidem Penates Romanos appellat — „Oppidum, quod primum conditum in Latio stirpis Romanae, Lavinium; nam ibi dii penates nostri" — sed dum nostros ait, eosdem deos iterato cultu Romae aedem et simulacra habere negat.

Dionysius igitur quin tot argumentis erroris reus falsus sit, quin templum, quod ipse Penatium crederet, Larum potius Praestitum, domus autem illae regiae singulatim commemoratae eaedem, eorumque penetral, atrium fortasse Tuscanico modo tectum (ὑπεροχῇ σκοτεινόν - nisi haec verba ad imminentem Veliae collem referre malueris) Larum aedes fuerit, nemini confido amplius dubium videri, nec de regionis illius situ et natura ambigendi locum relictum esse credo. Quo simul redargui mihi videtur ea Bunsenii opinio, quod quamvis ipse sibi non constans summam sacram viam eandem esse cum sacro clivo suspicatur (p. 83. ll. *Dieser Steig* — clivus sacer — *heisst auch die Hoehe der Sacra via*). Nam a porta Mugonia versus forum prospicienti a tergo erat clivus

sacer, contra via sacra dextrorsum et sinistrorsum tendebat, ita ut illa porta ab inferiore parte clauderet clivum, non a summa inciperet. Alioquin enim templum Jovis Statoris in summo Palatii margine et arce positum fuisse necesse esset. Quod ut cum descriptione pugnae Sabinae apud Livium (I, 12.) consociari non potest — quomodo enim Romani totum clivum angustum profecto et probe munitum sursum fugarentur? — ita nostra ratio cum antiquo arces cummuniendi more optime congruit. Clivi enim circumducti collibus ab alterutra aut ab utraque parte et summa et infima portis clausi erant (cf. eund. Bunsen. T. I, p. 619.). Nec, si clivus ille in summo Palatio finiebat, ibique porta Mugonia et regis sacrificuli domus erat, eaque regio summa sacra via dicebatur, quomodo hinc ad Streniae sacellum tertiae sacrae viae pars tendere potuerit, nisi haec ipsa iterum clivus fuerit, perspicere possumus.

Cap. 19.

De Laribus Praestitibus et Penatibus P. R. passim confusis. — De Penatibus Lavinii cultis.

Verum ut ad ea redeamus, quibus Dionysii error excusationem habere possit, quaeque simul aliquid ad illustrandam Penatium naturam, qualem Romani vulgo sibi finxerint, facere videantur: sic existimandum est, quum Lares ipsi Penatium coniunctim et in universum dictorum numero continerentur, idque non modo in privatis aedibus, ubi consociata semper utrorumque numinum veneratio (cf. cap. 4.), sed etiam in Troianorum Larum cultu, quos inter Penates civitatis publicos habendos esse communi fide ferrent (vid. c. 15.), evenire facile potuisse, ut qui minus accurate loquerentur, etiam hos Lares, Romuli Remique divos animos Penates non modo dicerent, verum etiam eorum originem, quam omnium externarum superstitionum puram et vere Italicam esse vidimus (cf. L. I, 14.), ad Aeneam auctorem referre conarentur. Atque ita semel iniecta Troianae originis

memoria Romanorum, doctorum imprimis, animis haesit, ut ne ipsi quidem secum dissidere vererentur, et quamvis Larum praestitum natura, quamvis ipse numerus obesset, novis hanc difficultatem et inanibus figmentis tollere, quam occupatam semel et adamatam opinionem deserere mallent. Qua in re duae praecipue causae iis commodum suppetias tulerunt, quarum prima sanctae, quibus penatium cultus obvolutus erat, tenebrae, altera, quod Lavinii, unde omnia Troianorum fabularum initia in Latium et Urbem migraverunt, Penates dii inventi sunt, cum ipsa Vesta (Serv. ad V. A. II, 296. III, 12. Macrob. II, 4.) in communibus oppidi penetralibus culti, quorum etiam numerus — hic enim usque adeo praecipuum et firmissimum confusionis obstaculum — Romanis geminis par erat. Hos quibus acutius iudicium Castorem et Pollucem existimaverunt. Quod in oppido, in quo situs maritimus et navigationi opportunus marinorum Deorum cultui cumprimis favebat, perquam est consentaneum. Nam interp. Lion. ad Virg. Aen. III, 12: „*Varro* et alii complures magnos deos affirmant simulacra duo virilia, Castoris et Pollucis, in Samothracia ante portam sita, quibus naufragio liberati vota solvebant. — Dii penates a Samothracia sublati, ab Aenea in Italiam advecti sunt . . ., quos inter caetera ideo magnos appellant, quod de Lavinio translati Romam, bis in locum suum redierint." Quibus verbis magnopere subit mirari, quod Varro ipse L. L. IV, 56 Müll. prorsus contraria habet: „Terra enim et Coelum, ut Samothracum initia docent, sunt Dei Magni et hi quos dixi multis nominibus. Non, quas Samothracia ante portas statuit duas virilis species aeneas, Dei Magni: neque ut volgus putat, ii Samothraces Dei, qui Castor et Pollux; sed ii mas et femina." Hoc igitur certum, iuxta Varronem Deos magnos non fuisse Dioscuros, nec eum si penates eosdem ac Magnos Deos, Lavinios autem penates haberet, hos ipsos Castorem et Pollucem credidisse. Atqui eosdem eum utrosque censuisse ut diffidamus non sinit Ser-

vii cum interp. Lion. consensio fidesque Varroni ab ipso aegre habita. Haec enim ille male credulus l. l. addit: „Dii magni sunt: Jupiter, Juno, Minerva, Mercurius, qui Romae colebantur. Penates vero apud Laurolavinium. Unde apparet, non esse unum.“ Rursus Varronem Lavinios deos penates habuisse, ipse testis est L. L. V, 144. Add. interp. Lion. ad Aen. I, 378. Serv. ad A. III, 146. Schol. Veron. ad Aen. II, 717. Itaque ut eosdem Magnos Deos, fortasse Terram et Coelum existimaverit, necessario efficitur. Contra qui Romae in Velia separato templo culti sunt, hos Penates ab Aenea allatos non credidisse eum coll. L. L. V, 144, ubi Lavinios nostros penates appellat, patet. — Quos tamen ipsos Magnorum Deorum numero adscribere aeque potuit, siquidem Italiae et Latio cum Samothracia etiam aliis viis commercium intercessisse a quibusdam creditum animadvertimus (cf. c. 14). Nos tamen ut Lavinios penates Dioscuros aut Dioscuris simillima numina fuisse censeamus nummi faciunt in eorum figuram percussi. Hos enim eos esse, qui in nummo gentis Antiae (Morell. Fam. Rom. n. 2.) capitibus iugatis et laureatis conspiciuntur „Dei Penates“ inscripto, item in alio gentis Fonteiae literis P. P. et Sulpiciae sic signato D. P. P., certum est. Eiusdem enim aversa pars exhibet suem Laviniam cum triginta porculis. Qui tamen cum Borghesio Dec. numism. 6, n. 7. eas litteras: Diis Penatibus Praestitibus interpretantur, ut Furlanettus ad Forcell. Thes., cui hanc notitiam debemus, inauditam commenti compositionem simili cum Dionysio errore lapsi sunt. Lares enim Praestites Romae, Penates Praestites nusquam fuerunt. Nec quidquam proficiunt ad Aurel. Vict. de orig. gent. Rom. c. 13 provocantes. Nihil enim illic legitur, nisi nota de scropha Albana fabula, addita inconcinna Penatium mentione. Caeterum totus hic pessimi scriptoris locus mendosus. Itaque litterae nummi aut Diis Penatibus Publicis explicandae, aut quomodocunque, dum ne Praestitum nomen Penatibus prorsus alienum invitis diis inculcetur.

Quoniam vero nec de Phrygia Lavinii origine quisquam dubitabat, et Romanus populus ea pietate, qua coloniam ergo matrem uti par est, Lavinios focos publice per magistratus colebat — nam Macrobius Sat. II, 4: „Adeo, ut consules et praetores seu dictatores cum ineunt magistratum, rem divinam faciant Penatibus pariter et Vestae.“ Unde hausisse videntur Interp. ad Virg. Aen. I. 271. II, 296, quibus add. Dionys. Hal. I, 67. Interp. Fuld. ad Aen. III, 12: „Imperatores in provinciam ituri apud eos primum immolabant — inventi sunt, qui ut magis etiam cum Homericis argumentis hunc cultum componerent, Neptunum et Apollinem, Troianorum moenium exstructores hos penates esse iuberent. Nam si fides est Servio ad Virg. Aen. I, 378: „Nigidius et Labeo, Deos penates Aeneae, Neptunum et Apollinem tradunt. „Add. eund. III, 119. II, 325. Eadem Macrobius habet, Sat. II, 4, addita, quam diximus, religionis causa, et Arnob. III, p. 123. Quid igitur mirum, si in tanto pugnantium opinionum quodammodo tumultu Dionysius, Graecus homo, Lares praestites Laviniensibus numinibus admodum similes Penates atque adeo Aeneae penates habuit, et eo, quo vidimus, modo de iis rettulit.

Cap. 20.

De Penatium aede in Velia sita.

Neque illud adnotare a loco nostro alienum videtur esse, domum illam, quae Varrone (ap. Ascon. l. l.) Plutarcho (Publ. 20.) Dionysio (V, 39.) testibus in ipsius Palatii loco munitissimo (*ἐν τῷ κρατίστῳ τοῦ Παλαντίου*) M. Valerio Maximo, quem vulgo Publicolae fratrem ferunt, Niebuhrius gentilem modo eius fuisse eundemque quem Manium demonstrat (T. I, p. 563 sq.), data est, foribus in publicum apertis, prorsus diversam esse a P. Valerii domo sub Velia sita, quam Niebuhrius (p. 561 sq.) cum hoc confundit. Nam non modo novum inde nascitur argumentum honorum illi genti regiae datorum, sed etiam ut suspicemur facit, hanc for-

tasse domum esse potuisse propriam Valeriorum regiam, ipsiusque P. priorem domum, quam mutata imperii sede et in inferiorem locum lata, popularibus studiis ab eo desertam atque adeo destructam esse historiarum auctores, antiquas fabulas pro captu suo interpretati ferebant. Nam Veliam summam Palatini montis partem (cf. Varro L. L. V, 54.) firmissimam circa forum regionem fuisse, ex iis, quos in P. Valerio attulimus, locis apparet. Ideoque vel aliquis hanc domum simul Penatium templum, de quo diximus, fuisse divinaverit. At hic quidem hariolationibus finis imponendus, ne nostris somniis seducti, dum antiquarum fabularum umbras huic luci et vitae reddere conamur, pro Dea, ut ille, nubila captare videamur. Romuli profecto domus, casa Romuli quae dicebatur, vel supremis reipublicae temporibus religiose conservata et culta (cf. enim Ovid. Fast. I, 199. III, 182. Prop. IV, 1, 9. Senec. consolat. ad Helv. 9) fuisse non potest. Haec enim in opposita montis parte Circum et Velabrum versus Dionysii aetate monstrabatur (A. R. I, 79.), a quo diversam alteram Arellius Fuscus memorat in Capitolio fuisse ap. M. Senecam Rhet. Controv. II, c. 9., aegre concinentibus vulgatarum fabularum argumentis, quae id agunt, ut Palatium Romuli primum fuisse domicilium demonstrent. Accedere tamen videtur, si qua est, Valerii Maximi auctoritas IV, 4, 5. fin.

Cap. 21.

De imaginibus maiorum, et de signis in vestibulo positis.

Haec quidem fuerunt, quae de patriorum numinum religione et cultu tam publico, quam privato haberemus dicere. Quorum ab utroque genere diversas fuisse cereas avorum imagines, monere vix operae pretium erit. Lares enim, ne de reliquis Penatibus dicam, geniorum divorum signa, hae ad similitudinem veritatis expressi vultus. Illorum usus communis, harum ius nobilitati reservatum. Laetis tamen et festis diebus, ubi Lares co-

lebantur, simul stemmata redintegrata novisque sertis imagines ornatae esse videntur. Juvenalis enim pro salvo amici reditu Diis vota soluturus Sat. XII, 57:

Inde, inquit, domum repetam, graciles ubi parva coronas
Accipiunt fragili simulacra nitentia cera.
Hic nostrum placabo Jovem, Laribusque paternis
Tura dabo.

His tamen iterum distant signa aenea vel marmorea pristinorum et praesentium domus dominorum aliorumve familiae illustrium membrorum, quae simul cum spoliis aliisque triumphi insignibus ante aedes ad postes ianuae et in vestibulo constituebantur. Haec enim rebus bene gestis claram domum etiam praetereuntibus significabant. Statuas autem singularem prius et a populo decretum honorem, nec ita pridem inter proceres in superbiam et fastum vulgatas, etiam ultra antiquum cerearum imaginum usum durasse, pro his autem clypeos imagunculis signatos, Appii Claudii inventum, sensim substitutos esse, Plinius testatur XXXV, 2. coll. 3: „Imaginum quidem pictura, qua maxime similes in aevum propagabantur figurae, in totum exolevit. Aerei ponuntur clypei, argenteae facies surdo figurarum discrimine — Aliter apud maiores in atriis haec erant, quae spectarentur, non signa externorum artificum, nec aera aut marmora.“ Unde haec non in atrio olim sed alio domus loco spectata esse, si tamen omnino adessent, apparet. Quem vestibulum fuisse et Plinius ipse XXXIV, 13, loco supra exscripto, et Juvenalis Sat. VII, 125. sq. docet:

Huius enim stat currus aeneus, alti
Quadrijuges in vestibulis, atque ipse feroci
Bellatore sedens curvatum hastile minatur.
Eminus, et statua meditatur proelia lusca —

et Virgilius sui temporis magnificentia ad priscos Italiae reges relata in Latini regia Aen. VII, 177:

Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro, Italusque paterque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem
Saturnusque senex, Janique bifrontis imago
Vestibulo adstabant, aliique ab origine reges.

Quod ideo adnotasse haud supervacuum mihi visum, quia nuper Lerschius (Annales philoll. Darmst. 1838. N. 72, p. 585 sq.) verba Vestibulo adstabant dura ne dicam contorta interpretatione ita accepit, quasi non in ipso vestibulo sed in atrii ea parte, quae vestibulo proxima esset, signa ea stetisse Virgilius dicat. Ubique enim imagines maiorum in atrio non in vestibulo dispositas commemorari. Hoc quidem recte: sed „imagines maiorum", quae proprie dicuntur, cereae sunt vultuum effigies personaeque, non statuae et signa, qualia in Latini regia conspiciebantur. Denique, si hae ipsae imagines a Virgilio significarentur, non eam atrii partem, quae vestibulum et januam spectaret, sed alas (de cuius vocis significatione cf. Becker. Gallo T. I, p. 84. supr. cap. 10.) iis assignaret. Hic enim locus imaginum et stemmatum. Cf. Vitruv. VI, 5 (3, 6. Schn.): Imagines item alte cum suis ornamentis ad latitudinem alarum sint constitutae.

Minus invidiosa videtur ea ratio, nec nisi ob affectatam vanae elegantiae speciem notanda, qua defunctorum virorum imagines inter tutelaria domus numina receptae singulari quadam et ad id inventa religione colebantur. De qua Plin. XXXV, 2: „Et inter haec pinacothecas veteribus tabulis consuunt, alienasque effigies colunt. Iidem vultus Epicuri per cubicula portant, ac circumferunt secum. Natali eius vicesima Luna sacrificant, feriasque omni mense custodiunt, quas icadas vocant."

Formis expressum Ploetzianis.

Keil, Henr., observationis criticae in Catonis et Varronis de re rustica libros. 1849. 1,50. Mk.

Küster, M., Material zu französ. Sprechübungen. 186.5 0,60 Mk.

Lange, W., Dr., Randglossen zu den pädagogischen Bewegungen der Gegenwart. 1864. 3,50 Mk.

Meier, G. A., Dionysii Areopagita et mysticorum saeculi XIV. doctrinae inter se comparantur. Dissertatio. 1845. 0,75 Mk.

Mencken, G. L., Lydiaca. Dissertat. ethnogr. 1843. 1 Mk.

Pappus von Alexandrien Sammlung. Siebentes und achtes Buch. Griech. und deutsch hersgg. von C. J. **Gerhardt**. Mit vielen Holzschnitten. 1871. 8 Mk.

Planudes, Maximus, Rechenbuch (*ΜΑΞΙΜΟΥ ΜΟΝΑΧΟΥ ΤΟΥ ΠΛΑΝΟΥΔΗ ΨΗΦΟΦΟΡΙΑ ΚΑΤ' ΙΝΔΟΥΣ Η ΛΕΓΟΜΕΝΗ ΜΕΓΑΛΗ*). Nach den Handschriften d. K. Bibliothek zu Paris hg. v. **C. J. Gerhardt**. 1865. 4. 2,40 Mk.

Das Rechenbuch des Mönchs Planudes, der c. 1350 lebte, ist für die Geschichte der Mathematik von grossem Interesse. Der Herausgeber giebt ausser einem vollständigen Abdruck der griechischen Handschrift eine historische Einleitung und erklärenden Commentar dazu.

Planudes' Rechenbuch aus dem Griech. übers. von Dr. H. Wäschke. 1878. 1 Mk.

Sann, W. R., Themata zu deutschen Aufsätzen aus den Sentenzen deutscher Classiker. 2. Aufl. 1862. 0,40 Mk.

Trömel, P., die Literatur der deutschen Mundarten. 1854. 1 Mk.

Unger, R., commentationes de Thebarum Boeoticarum primordiis, de fluviis fontibusque Thebani agri et urbibus Thebanae portis. Accedunt corollaria critica et indices. 1845. 6 Mk.

— Thebana paradona sex libris 1839 6,75 Mk.

Im Preise herabgesetzte Werke.

Adelung, Fr., Versuch einer Literatur d. Sanskrit-Sprache. St. Petersburg. 1830. (4,50 Mk.) 2 Mk.

Αἰσώπου μῦθοι. Aesop's Fabeln, mit Einleit., gram. Anmerk. Wörterbuche, herausg. v. J. D. Büchling. Bearbeitet Grosse. 1821, gr. 8. (2,50 Mk.) 1 Mk.

Alcaei, poëtae lyr. fragmentata, ed T. E. Stange. 1810. (2,50 Mk.) 1 Mk.

Anleitung zum Uebersetzen aus dem Deutschen in das Griechische. Eine Uebersetzung des von Dr. Joh. Ph. Krebs herausgegeb. griech. Lesebuchs für untere u. mittlere Klassen. 1820. (1 Mk.) 0,50 Mk.

Aristophanis Acharnenses graece, edidit, varietate lectionis animadversionibus VV. DD. suisque nec non indice vocabulorum instruxit J. G. C. Höpfner. pars I. 1799. (1,25 Mk.) 0,60 Mk.

—— nubes, denuo in usum lectionum adhibitis Brunckii, Invernizii, Hermanni, Reisigii recensionibus editit Chr. G. Schütz. edit. quarta 1827. 1,25 Mk. 0,60 Mk.

Bährens, J. C. F., Anzeige d. griech. u. latein. Klassiker, mit vorläuf. Einleitungen u. Nachrichten v. d. Schicksal ihrer Schriften, Ausgaben u. Uebersetz., nebst Uebersicht d. Bearbeitung d. gesammten Philologie. 1786. (2,25 Mk.) 1 Mk.

—— Lehrbuch die griech. und latein. Klassiker zweckmässig zu lesen. 1786. (1,25 Mk.) 0,50 Mk.

Bernstein, G. H., versus ludicri in Romanorum Caesares priores olim compositi; collectos. recognitos, illustratis, auctoritate soc. Ducal. lat. Jenensi edit., cum epistola a Eichstaedt, 1810. (1,24 Mk.) 0,60 Mk.

Büchling, J. D., kritische Uebersicht der Literatur der Schulwissenschaften d. Jahres 1790. 1792. (3 Mk.) 0,75 Mk.

Büttner, Jo., Chrestomathia patristica latina. Chrestomathiam Hieronymianam contin. 1804. (1,50 Mk.) 1 Mk.

Ciceronis orationes selectae XIV argumentis praem. notis substractis et indice nom. adjecto illustr. J. C. F. Wetzel. Edit. secund. 1820. (3 Mk.) 0,75 Mk.

—— tuskulanische Untersuchungen; übers. und mit erklärenden Anmerkk. begl. von J. D. Büchling. 1799. (3.75 Mk.) 1,50 Mk.

—— Lälius, oder Abhandlung über die Freundschaft, übersetzt mit Einleit. und Anmerkk. von Schreiber. 2. Aufl., umgearbeitet von Grosse. 1827. (1,25 Mk.) 0,60 Mk.

—— Paradoxien; mit Inhaltsanzeigen u. Anmerkungen von Schreiber. 1799. (1 Mk.) 0,50 Mk.

—— Dialog über das Alter, übersetzt mit Einleit. und Anmerkk. von Schreiber. 1799. (1,25 Mk.) 0,75 Mk.

—— Rede für d. T. A. Milo: übersetzt und erläut. von Motz. 1794. (1 Mk.) 0,50 Mk.

Cornelii Nepotis, quae extant. Text. 1840. (0,50 Mk.) 0,30 Mk.

Chrysostomi, J., opera praestantissima graece et latine. Ad fidem optimorum librorum, praesertim ad editionem D. B. de Montfaucon, olim monachi ordinis S. Benedicti etc. proemiis, notis, variis lectionibus illustrata, et historia literaria locupletata. Cura F. G. Lomler. Rudolphopoli 1840. 4. (9 Mk.) 4 Mk.

—— id. liber graece. Rudolphopoli 1840. 8. 6 Mk. 2 Mk.

Demosthenes, Philippische Reden. Uebers., erläut. und mit einigen Abhandl. begleitet von A. G. Becker. Neuere Bearbeitung. I. Theil. 1824. (3 Mk.) 1,25 Mk.

—— dasselbe. II. Theil. Nebst der Literatur der Philippischen Reden. 1826. (2,25 Mk.) 0,75 Mk.

Erasmi Rotterd. colloquia familiaria ed. Baehrens. 1804. (0,50 Mk.) 0,30 Mk.

Euripidis Iphigenia in Aulide, graece, rec. commentario illustravit, indicemque verborum adjecit J. G. C. Höpfner. 1795. (3,50 Mk.) 1,50 Mk.

—— tragoedia Phoenissae c. scholiis graecis. In usum lectionum iterum edidit adhibitis Valckenaerii, Brunckii et Porsoni recensionibus, Hugonis Grotii versionem latinam indicemque verborum adjecit Chr. G. Schütz. 1821. (4,50 Mk.) 2 Mk.

Eutropii breviarium historiae Romanae, notas adjecit G. F. W. Grosse. 1813. (4,50 Mk.) 1,50 Mk.

Faehse, M. G., animadversionibus in Plutarchi opera. (Lipsiae) 1825. (2,25 Mk.) 1 Mk.

— observ. crit. in Plutarchi opera. ib. 1802. 4. (1 Mk.) 0,50 Mk.

Harless, G. Chr., fortgesetzte kritische Nachrichten von kleinern theologischen, philosophischen, historischen und philologischen Schriften. 2 Bde. 1785. (4,50 Mk.) 1,50 Mk.

Hornheim, C., Versuch eines deutsch-latein.-rabbinischen Wörterbuchs zur Erleichterung derer, welche die rabbinische Sprache erlernen wollen. 1807. (0,75 Mk.) 0,50 Mk.

Ibn-al-Vardi Aegyptus ex apographo Escorialensi ed. M. Fraehn. 1804. (1,50 Mk.) 1 Mk.

Wilhelm, A. B., die Feldzüge des Nero Claudins Drusus in dem nördl. Deutschland. mit 1 Karte und mehreren Steindrucktafeln. 1826. (4 Mk.) 1,50 Mk.

Wüstemann, C. F., Deutsch-Lateinisches Handwörterbuch. 2 Thle. (Gotha) 1826. Ldnprs. 9 Mk. herabgesetzt auf 4,25 Mk.

Xenophon, Auszüge aus dessen Schriften. Mit Anmerkk. u. griech. deutschem Wortregister zum Schulgebrauch herausgeg. von Becker. 1794. (1,75 Mk.) 0,75 Mk.

—— Gastmahl und Oekonomikus, übers. mit Anmerkk. von Becker. 1795. (1,75 Mk.) 0,75 Mk.

—— Feldzug des Cyrus und Rückzug der Hellenen aus Asien; übers. und erläut. von Becker. Mit 1 Karte. 1802. (3,50 Mk.) 1,50 Mk.

Anhang.

Kruse, F., deutsche Alterthümer, oder Archiv für alte und mittlere Geschichte, Geographie und Alterthümer, insonderheit der german. Völkerstämme. Nebst einer Chronik des Thüring.-Sächs. Vereins, mit Karten, Kupfern u. Steindrucktafeln. 3 Bde. à 6 Hefte. 1824—30. (34,50 Mk.) herabg. auf. 12 Mk.

Petzholdt, J., Dr., Anzeiger für Bibliographie u. Bibliothekwissenschaft. 1848—55. (42 Mk.) herabg. auf. 18 Mk.

—— Handbuch deutscher Bibliotheken. Mit 7 lith. Taf. 1853. 6 Mk.

—— zur Peterschen Faustliteratur. 0,40 Mk.

Für Schulbibliotheken empfehlenswerth!

Ule, O., Dr. die Natur, ihre Kräfte. Gesetze und Erscheinungen im Geiste kosmischer Anschauung. 1851. 2 Mk.

—— physikalische Bilder im Geiste kosmischer Anschauung. Allen Freunden der Natur gewidmet. 2 Bde. 5,40 Mk.

—— das Weltall. Beschreibung und Geschichte des Kosmos im Entwickelungskampfe der Natur. Allen Freunden der Natur gewidmet. 3. sehr verbesserte und mit Abbildungen vermehrte Auflage. 1859. brosch. 8 Mk. Eleg. geb. 9 Mk.

Liederhücher für Gymnasien.

Geyger G., Buch der Lieder zum Gebrauche beim Gesangunterrichte in Gymnasien und Realschule. 1 Mk.

Kreutz F., Liederbuch f. Gymasien u. Realschulen. 2 Aufl. 0,60 Mk.

Vohla M. J., Liederbuch f. kathol. Gymnasien u. Realschulen. 0,40 Mk.

Von meinem grossen Antiquarischen Bücherlager ist ein Catalog über **Griechische Classiker, Griech. Wörterbücher, Grammatiken etc., Griech. Geschichte** 1600 Werke und ein Catalog über **Literatur der latein. Sprache, römische Classiker, Neulateiner etc.** 3500 Werke gratis zu haben.

Halle, Druck von H. W. Schmidt.